

00 J. P. ...

... et palpebre tuas
... in oculis vestris, et
... et confirmamini
... et rectis corde la

Theol.

M. X. 106.

Benti immaculati in viq. ...
Bonitatem, et Disciplinam et ...
... et sapiens format, et ...
... imitandum sit docet; ista qui
... Eucherio in Ep. ad ...
... non seminat, et
... nunquam metit.
...

2
FASCICVLVS
MYRRHÆ
ET THVRIS.

SEV
ORATIONES NO-
VÆ AD CHRISTVM,
CHRISTIPARAM
& Cœlites.



Colonia Agrippina,
Apud IOANNEM KINCHIVM
Anno M. DC. XLIX.

S. AVGVSTINVS.

Christiani nomen ille frustra fortitur, qui Christum minime imitatur. Quid enim prodest Tibi vocari quod non es? & nomen vsurpare alienum? sed si Christianum Te esse delectat, quæ Christi sunt gere, & meritò nomen Christiani vsurpabis.

S. GREGORIUS.

Omnis Christi actio, nostra est instructio.

AMATORI VITÆ

CHRISTIANÆ,

Iacobus Merlonus Horstius S.

Christiani hominis censura
non Nomine, sed Vita con-
stat. Nominis quidem professio glo-
riosa est, sed nihil ad Cœli Gloriam
profutura, nisi Nomini tam sancto
condecens vita respondeat.

Porro Christi Vita nobis debet es-
se norma viuendi: iam verò Chri-
stiani Nomen multi vsurpant, sed
de vita hoc Nomine digna parum
solliciti; & tamen audacter sperant,
in Gloria Christi se fore consortes,
cuius in vita, ceu in via, non student
esse sectatores, O quam multos (no-
mine tenus Christianos) deludit hæc
spes, aut potius præsumptio! adeò
scil. ignauos, suiq; ignaros, vt No-
men tam sanctum, Sanctioris vitæ

calcar esse nesciant ; grauibus sanè digni supplicijs, quia cum obliuione & ignorantia sui, iniuriam Redemptoris iungūt; cuius Nomine tam indigne & turpiter abutuntur. Illorū perditio, nostra sit cautio & Christiani potius esse, quam dici velimus.

Quid factio opus ? Ecce, **S P E C V L V M** Vita Christi est. Inspice, O Christiane, tuamq; compone: & quia rectum sui pariter & obliqui regula est, in Illa decorem multum, variasq; virtutes obserua; in tua maculas & Vitia; sed tanto facilius eluenda, quo diligentius **S P E C V L V M** **S I N E** **M A C V L A** consules.

Illud ergo semper obuersetur oculis tuis, & in Christi Vita meditare die ac nocte, vt vitæ tuæ vitia, & Chri-

Christi Virtutes agnoscas, illorū odium, harum amorem & imitandi desiderium concipias. Meditatio enim notitiam parit, illuminat intellectum, affectum excitat, & voluntatem accendit. ac vero ignoti nulla cupido, & quid mirum, si paucos Christus habeat imitatores? Meditari enim Christi vitam ac gesta piget, & imitari libeat?

Tu verò ô Christiane de præsentis ROSARII vsu pauca accipe. Totam Christi Vitam breuiter exhibet: sed vberem satis, ni fallor, meditandi materiam suggerit. In priori parte versuum mysterium seu punctum ex vita & gestis Christi proponitur, in posteriore affectus aliquis pius ex prioribus elicitus, maxime virtutis indicat & desiderium, exprimitur.

A 3 Di-

Distribuitur autem in quinque
 Sectiones seu Decades. I. Infantiam
 & Adolescentiam Saluatoris vsque
 ad Baptismum continet. II. Vitam
 Christi, vsque ad Passionem descri-
 bit. III. Passionem Christi vsque
 ad Crucifixionem. IV. Crucifixi-
 onem, & Gesta in Cruce ad mortem
 vsque. V. Gesta post mortem, de-
 nique Resurrectionem, Ascensionem,
 &c. complectitur.

Serviet hoc ROSARIUM cum
 aliàs, tum S. Communioni & Mis-
 sa, piè tū peragenda tum audienda.
 Cum enim vtraque sit memoriale
 Passionis Domini, vix melius ali-
 undè, quam ex his ipsis mysteriis pe-
 ti potest Exercitium pietatis.

Vt verò fructum tibi ROSARII
 presentis vsus maiorem adferat, fac
 vbi-

vbicunque aliquam Christi Virtu-
tem cernis aut legis, protinus cordis
affectum elicias, qui virtuti aut reſ
geste magis respondeat. Varij au-
tē sunt affectus animi, operi tam-
pio congruentes, quibus irrigari sub-
inde meditatio debet, aliās inanis,
sterilisq; futura. Ac ipe eos breuiter
vnā cum praxi

1. Compassionis in aduer-
sis, Congratulationis in lætis.
Condoleo tibi ex animo, Domine, tã
indigna & acerba, pro me indigno
patienti. &c.

2. Compunctionis ac Con-
tritionis. Heu me quia peccaui, do-
leo, quia Tibi tot dolorum caussa fui.
an vilescam mihi ipsi, qui scio me
emptum pretio tam magno? parui-
ne estimabo animam meam, cuius

pretium sanguis Christi est? An rur-
sus peccabo infelix ego, pro cuius pec-
catis tanta passus est filius Dei?

3. Spei ac gaudij. Mibi ad-
herere Deo bonum est, & ponere in
Deo spem meam. Quid non sperem à
te, qui tanta fecisti & passus es pro-
pter me, ô Deus meus, & vnicum
refugium meum?

4. Laudis ac gratiarum ac-
tionis. Quid retribuam Tibi Do-
mine pro omnibus quæ retribuisti
mihi? Benedic anima mea Domino,
& omnia quæ intra me sunt, nomi-
ni sancto eius.

5. Imitationis. Exemplum re-
liquisti nobis ô Domine, & vis ut
sequamur vestigia tua. Da quod
iubes, & iube quod vis.

6. Admirationis. Quis es tu
Do-

Domine, & quis sum ego? Tu qui pateris Deus ac Dominus es, iustus ac innocens, ego vilis terre vermis & peccator, qui poenas merui, quas tu sustines, ô prodigium!

7. Amoris. O dulcis Iesu, salus & vita mea; omnia opera tua Domine, tuum mihi loquuntur amorē. è cœlo te traxit Amor, & in Virginis uterum compegit: Amor te cruci cōfixit, & quid me separabit à charitate tua? Utinam nec vita nec mors, nec vlla sors hoc valeat. In his ergo affectibus pro qualitate materiae exercenda mens; & meditatio vitæ & passionis Christi condienda est. sed eorū praxin, in singulis punctis, exhibet sequens Rosarium, & plenius te docebit vnctio Spiritus. Potissima tamen affectuum Contritionis &

Imitationis cura erit, præsertim Incipientibus. Hic n̄ præcipuus est Passionis fructus, ex ea peccati odium, & virtutis amorem haurire. quid autē efficacius ad peccati fugam, quam si cogites, quanta oportuit Christum pati vt nos à peccatis eriperet! quid potentius ad virtutis amorem, quā si cogites, DEVS homo factus est, vt in carne visibilis, & nobis similis virtutum exempla imitanda proponeret.

Porro in hoc Rosario hæc Virtutes potissimum obseruandæ. Humilitas, Obedientia, Māsuetudo, Patientia, Misericordia, Caritas, &c. Has & similes nota imitare, & alios pios circa easdē affectus exerce. Nō deerit huic studio Christus, qui quos Vitæ suæ docet Exemplis, Gratia quoque præsidij ducit, & sequentes se tandē æternis Gloria præmijs coronabit.

VIVE VT VIVAS.

ROSARIUM II

VITÆ IESV CHRISTI.

SVMME PATER ô Creator;
IESV clemens ô Saluator;
Sancte DEVS Conseruator;

VNVS tenens OMNIA,
Mundo, precor, corde præsta,
Nostra pro salute gesta

Recolam mysteria.

IESV Matrem selegisti,
Et Serpentem contriuiſti
Germinè Virgineo.

MATRIS tuæ me clientem,
Ac materno confidentem
Foue patrociniò.

IESV cœtus Angelorum,
Chorus omnis Te Sanctorum
Mundi laudant Iudicem,
His cum laudes me promentē
Sed ob noxas metuentem.

Clemens audi supplicem.

Credo in Deum, &c.

IESV Thronum Maiestatis
 (Sumens formam vilitatis)
 Nostri causâ deseris.

O fac nobis ad salutem,
 Tantus Amor det virtutem,
 Et nos iungat Superis.

PATER NOSTER.

IESV Virgo Salutata
 Te concepit illibata,
 SPIRITVS per gratiam.
 O fac Deum Te tremendum
 Casto semper amplectendum
 Pectore concipiam.

Aue Maria.

IESV Mater TE gestabat,
 Dum per montes festinabat
 Visitans Elizabet.

O si Mater DEI digna
 Iunctâ Prole tam benignâ
 Me frequenter visitet.

Aue Maria.

IE-

I E S V Mater præter morem
Virgo parit T E, Dolorem
Nesciens Puerpera.

Charitate fac perfecta
Flagret in T E mens affecta,
Quã non frangant aspera.

Aue Maria.

I E S V tui Terræ fines ;
Sed vix, caput quo reclines,
Mundo nascens inuenis.

Et quid ampla meditari,
Aut in bonis gloriari
Mens præsumit hominis ?

Aue Maria.

I E S V, natum T E, Pastorum,
Visit plebs, & Angelorum
Canit vox lætitiã.

Tuã laudis fac amantein,
Vt æternam tibi cantem
In Excelsis gloriam.

Aue Maria.

I E-

IESV DEVS & Saluator:
Circumcifus, vt peccator
Legis iuffa fubiens.

O fac carnem, fensus vagos
Circumcidã mores prauos,
Quæ furfum funt fapiens.

Aue Maria.

IESV Reges Te dotantes,
REGEM Regum venerantes,
Vultu colunt cernuo.

Quam tot donis mihi datis
Vicem reddam charitatis?

En me TOTVM tribuo.

Aue Maria.

IESV Legi fe fubdentes
DEO fiftunt Te Parentes,
Nulla quos lex obligat.

O fac mihi cor fit rectum,
Omnem femper quod affectũ
Lege tuã dirigat.

Aue Maria.

IE-

ROSARI.

15

IESV neci Te quærentem
Regem fugis, sequentem
Cædibus Infantia.
Cunctos me fac declinare,
Qui me possent spoliare
Tuæ vitæ gratia.

Aue Maria.

IESV Mater vt absentem
Dolens quærit Te, docentem
Templo gaudens reperit.
Fœlix qui Te custodire
Vel amissum reperire,
Mox quærendo poterit.

Aue Maria.

O Potens audi nos: CREATOR,
Audi Clemens ô SALVATOR,
Audi Sancte GUBERNATOR,
O DEVS meus, & OMNIA,
Ora Dulcis ô MARIA
Placa Natum Mater pia;
Tu solamen sis in Via;
ILLE Salus Patria.

IESV fonte baptizaris,
 Placens PATRI declararis;
 Testis adest SPIRITVS.

O si VITÆ Salutari
 Fonte lauer, vt probari
 Possim tibi penitus.

PATER NOSTER.

IESV postquam ieiunasti,
 Quam potenter profligasti
 Dæmonis insidias!
 Ne fraus mala me confundat
 Fortis fide mens retundat
 Sathanæ versutias.

Aue Maria

IESV vocas Piscatores,
Et sequuntur Te, Doctores
Mox futuri Gentium.
 O fac, intus Te vocantem
Sequar mox, sed me nutantē
Duc in valle flentium.

Aue Maria.

IESV

IESV Sponfos cohonestas,
 Dum rogante MATRE prestas
 Vinum, praesens nuptijs.
 Fac amicos ordinatis,
 Te praecunctis charitatis
 Prosequar officijs.

Aue Maria.

IESV terras peragrando,
 Et vbiq; praedicando,
 Quanta fers incommoda!
 Pro Te frigus & sudorem,
 Famem, sitim, & laborem
 Mente feram placida.

Aue Maria.

IESV zelo charitatis
 Flagrans, o quot a peccatis
 Reparas ad gratiam!
 O si meos primum mores,
 Dein curem peccatores,
 Tuam zelans gloriam.

Aue Maria.

B

IESV

IESV multas diu Gentes
 Te docentem sustinentes,
 Verbo, Cibo recreas.
 O si corpus conseruante,
 Sed cor magis confirmante
 Cibo semper nutrias.

Aue Maria.

// IESV doces, facis mira;
 Sanas morbos; pellis dira.
 Sed quid refers? O dia.
Mente semper fac benignâ
Bona præstem; nec malignâ
Mouear Inuidia.

Aue Maria.

IESV monte Thabor grandis
 Maiestatis typum pandis,
 Dans prægustum Gloriae.
 O si vitâ nunc in fonte
 Feram celso tandem Monte
 Præmia victoriae.

Aue Maria.

IESV

I E S V petis Solymorum
 Urbem, deflens tot malorum
 Cladibus obnoxiam.

O si tui vis Amoris
 M I H I præstet vim Doloris,
 Et malorum veniam.

Aue Maria.

I E S V vili Te vendentem
 Cerno Iudam, & prodentem
 D E V M pro Pecunia.

Vnum tui fac A M O R E M
 Esse mihi potiore.

Bona super omnia.

Aue Maria.

O Potens audi nos C R E A T O R,
 Audi Clemens ô S A L V A T O R,
 Audi Sancte G V B E R N A T O R,
 O D E V S meus & O M N I A.

Ora Dulcis ô M A R I A,
 Placa Natum Mater pia,
 T V solamen sis in V i a.

U L L E Salus Patriâ.

IESV Deus & Magister

Lauans pedes vt minister,

Damnas arrogantiam.

Laua, precor, me, fordentem,

Et quæ forsan fœdat mentem

Elue superbiam.

PATER NOSTER.

IESV Pascha dum fecisti,

TVIS CIBVM TE dedisti,

O stupenda charitas!

O PANIS Viue me conforta;

Ne me vincant fors adorta

Caro, Dæmon, Vanitas.

Aue Maria

IESV sanguinem sudabas,

Orans Horto, cum Te dabas

PATRIS in arbitrium.

O sic cordes resignatum;

Et quod semper sit paratum

Duci per imperium.

Aue Maria.

IESV

IESV lupis tradebaris,
 Sed vt ouis dūcebaris,
 Mox futurus victima
 Omnis expers sim rancoris,
 Sed affectum fac Amoris
 Cordis gerant intima.

Aue Maria.

IESV tractus per furentes,
 Tuos cernis fugientes;
 Quis nō tecū plangeret?
 Fac in lætis me constantem,
 In aduersis non nutantem;
 Nil à Te me separet.

Aue Maria.

IESV vinctus accusaris,
 Quin & siles dum culparis;
 Iræ procul motibus.
 Fac me linguam refrenare,
 Sensus omnes castigare
 Pravis ab affectibus.

Aue Maria.

22 DECAS III.

IESV Petrus Te negavit,
Sed flens crimen expiauit
Tuæ vi Clementiæ.

O si nunquam Te negarem,
Aut me reum mox purgarem
Fletu Pœnitentiæ.

Aue Maria.

IESV falso iudicaris
Albâ lusus reprobaris
Iudex summæ Gloriæ.

Fac me nullum iudicare
Solum sciam me damnare,
Vitæ Iudex propriæ,

Aue Maria.

IESV dirè flagellatus,
Pugnis, sputis es fœdatus;
Purus omni vitio.

O quam dignus sum puniri!
Sed da pœnis his muniri
Mortis à supplicio.

Aue Maria.

IESV

IESV spinis coronaris,
Et illusus adoraris,

Regens orbem nutibus.

O fac zelo semper vero,
Affectuque Te sincero

Dignis colam laudibus.

Aue Maria.

IESV Præses Te spectandum
Foras ducit; sed damnandum

Plebs dimittit Barrabã.

Absit ducar hoc errore,

Vt tam diræ gentis more

Quenquam Tibi præferã.

Aue Maria.

O Potens audi nos CREATOR;

Audi Clemens ô SALVATOR,

Audi Sancte GUBERNATOR,

O DEVS meus & OMNIA.

Ora Dulcis ô MARIA;

Placa Natum Mater pia;

Tu solamen sis in Via

ILLE Salus Patriã.

IESV Crucem dum tulisti
Mole lassus corruisti.

O si tecum gradiar!
Eia Crucem fac tollendo,
Et constanter Te sequendo
Fructū crucis adsequar.

PATER NOSTER.

IESV veste denudaris;
Sed heu, quantum cruciaris
Causā verecundiæ!
Fac me nunquam spoliari,
Qua nos decet perornari,
Veste pudicitix.

Aue Maria.

IESV dirè Te distentum
Crucifigunt. O Tormentum
Vitam reddens Homini.
Absit mihi gloriari,
Nisi DEO Salutari,
Et in Cruce Domini.

Aue Maria.

IESV

IESV trinâ Nomen lingua
Tibi ponit gens maligna
Læto fulgens omine.

Precor IESV NAZARENE
Salua nos, nam pendet plenè
Salus ab hoc Nomine.

Aue Maria.

IESV Patri pro tuorum
Culpa supplex fis Tortorum,
Sicne doces vincere?

Hostes amem, sed non fictè,
Zelo quæram ne vindictæ
Mala malis reddere.

Aue Maria.

IESV summi Fons ô Boni,
Quam clementer das Latroni
Pœnitenti veniam!

Cor contritum mihi dona,
Ut hinc migrans tecum bona
Paradisi capiam.

Aue Maria.

IESV Matrem commendabas
Et Ioannem, Quem amabas,
In solamen mutuum.

Fac Amborum mihi curâ
Semper adfit in pressura
Salus & auxilium.

Aue Maria.

IESV clamas voce tristi,
Ut quid, Pater, me liquisti?
O tormenta fortia!

A Te nunquam derelinquar,
Ne tentatus fortè vincar
Mortis in angustiâ.

Aue Maria.

IESV fitis Te premebat;
Sed heu, dura Gens præbebat
Myrrham, fel, opprobria.

Memor potus tam amari,
O quam velim refrenari
Carnis desideria!

Aue Maria.

IESV

ROSARIU

27

IESV culpam Protoplasti
Morte luens, Consummasti
Redemptoris munia.
Cor Amoris vi concepta
Ad implenda duc Præcepta,
Sancta que Consilia.

Aue Maria.

IESV vitâ dum migrabas,
Temet Patri commendabas.
Heu Sol luget obitum.
Fac extrema mortis horâ
Meum Tibi sine mora
Reddam gaudens spiritû.

Aue Maria.

O Potens audi nos CREATOR,
Audi Clemens ô SALVATOR,
Audi Sancte GVBERNATOR,
O DEVS meus & OMNIA.
Ora dulcis ô MARIA,
Placa Natum Mater pia,
Tv solamen sis in Via,
ILLE Salus Patriâ.

IESV nostros ob reatus,
 Insons duræ Morti datus,
 Reis donas veniam.

O per sacræ Mortis fructum,
 Fac, ne sequens carnis ductum
 Malâ morte peream.

PATER NOSTER.

IESV cor dum perforatur,
 Fons Amoris dilatatur;
 Corda rigans arida.

Saluatoris patent fontes,
 Quid haurire vetat fontes
 Aquas in lætitiâ?

Aue Maria.

IESV Cruce Te pendentem
 Cernēs Mater, heu quo mentē
 Sensit ense fauciam!

Cor da Cruci sic affixum,
 Ut Te IESVM crucifixum
 Scire solum cupiam

Aue Maria.

IESV

IESV tandem sepeliris,
Et aromate condiris;

O quos inter gemitus!
In Te meam sepeliri
Mentem præstes, & condiri
Vnctione Spiritus.

Aue Maria.

IESV lymbum spoliaſti
Et hinc vinctos liberaſti,
Triumphator nobilis.

O fac cunetis ſoluar malis,
Nec Inferni tam pœnalis
Stringar vnquã vinculis.

Aue Maria.

IESV victa Refurgebas
Morte, mœſtis apparebas
Conſolator cordium.

Fac à morte vitiorum
Rediuiuus te decorum
Expers cernam ſordium.

Aue Maria.

IESV

IESV comes queis iuisti
Petens Emaus, non fuisti

Cognitus à socijs.

O si fruar Te præfente,
Nec abducar vnquam mente
Tuis ab eloquijs.

Aue Maria.

IESV Cœlos Ascendisti,
Et triumphans accepisti
Summū Cœlo brauium.

Vt & ego comprehendam
Sic fac curram (nec offendam)
Per hoc mundi stadium.

Aue Maria.

IESV Cœlo Paracletum
Mittens, sacri Gregis cœtum
Sancto reple Pneumate
O per Numen Veritatis,
Nostra reple pietatis
Pectora charismate.

Aue Maria.

IESV

IESV MATREM exaltasti
 Supra Cœlos, & ornasti
 Super omnes Gloria.

O mi IESV me defende;
 O de Cœlis huc intende
 MATER plena Gratiâ.

Aue Maria.

IESV Iudex es venturus,
 Et mercedem redditurus
 Factis nostris similem.

Mitem te nunc in Amore
 Colam, ne tunc in Furore
 Sentiam terribilem.

Aue Maria.

O Potens audi nos CREATOR,
 Audi Clemens ô SALVATOR,
 Audi Sancte GUBERNATOR,
 O DEVS meus & OMNIA.

Ora Dulcis ô MARIA.
 Placa Natum Mater pia,
 Tu solamen sis in Via,
 ILLE Salus Patriâ.



IHS

Psal. 83.

Protektor noster aspice
DEVS, & respice in faciem
Christi tui.

HYMNVS

*Rythmicus representans Aeterno
Patri Vitam, Passionem ac
merita Christi.*

PATER summæ Maiestatis
Recordare charitatis,
Qua das mundo **FILIVM.**

Recordare Pietatis,
Qua de **THRONO** Deitatis
Intrat hoc Exilium.

Recordare **IESV CHRISTI,**
EN **QUEM PAREM** genuisti,
Quam despectus nascitur!

Recordare quod Saluator,
Legi parens vt peccator,
Carne circumciditur.

Recordare, quia natus,
Et in fœno reclinatus
Per tres Magos colitur.

C Re-

34 HYMNVS DE VITA

Recordare Simeonis,
Per quem Matri Passionis
Gladius exponitur.

Recordare; quia DEVM
Ad p̄rdendum velut reum
Herodes persequitur.

Recordare cruciatus,
Queis à Matre carus Natus,
Et à Ioseph quæritur.

Recordare quia lassus,
Ventos, imbres, dura passus
Se tentari patitur.

Recordare Pater mitis
Ætus, gelu, famis, sitis,
Quibus sæpè quatitur.

Recordare quod laborans,
Docens, sanans, nec non orans
Tædio non frangitur.

PARS



ET PASS. CHRISTI. 35

PARS II.

Recordare cur Magister
Pedes suis, vt minister
Humi stratus abluir.

Recordare Pietatis,
Et quo zelo Charitatis,
CIBVM sese præbuit.

Recordare quo mœrore,
Quo pauore, quo dolore,
Orans hortu stringitur.

Recordare, quia poris
Resolutis, vi tremoris
Sanguine perfunditur.

Recordare, quo tumultu,
Quibus dolis, quali vultu,
Mitis Agnus capitur.

Recordare quia vinctus,
Et latronis inst r cinctus
A ministris trahitur.

Recordare quia tufus,

C. 2.

La.

36 HYMNVS DE VITA

Laceratus, & illusus

Humidure sternitur.

Recordare quia IESVS

Stans velatus, palmis cæsus

Prophetare cogitur.

Recordare qua coronâ

Cuncta comprehendens dona

Sanctum caput cingitur.

Recordare quod exutus,

Flagellatus & consputus

Purpura contegitur.

Recordare quam modestè

Vadit alba cinctus veste,

Sed à cunctis spernitur.

Recordare quia gratis

Accusatus, ab ingratis,

Tandem morti traditur.

Recordare quia iustus

Condemnatur, & iniustus,

Barrabas dimittitur.

Re

Recordare quale pondus
Crucis portat, quia mundus
Mole culpæ premitur.

P A R S I I I .

Recordare quia Cruci
Cum iniquis ira truci
Extensus affigitur.

Recordare quia vermis,
Et non homo, tam inermis
In altum erigitur.

Recordare quod inuictus
Victor tanquam maledictus
Sic pendere cernitur.

Recordare quali zelo,
Natus à Te missus Cælo
Tam indigna patitur.

Recordare quanto luctu,
Viso ventris sui fructu,
Pia Mater angitur.

50 HYMNVS DE VITA

Recordare quo sermone
Mira Christi pro Latrone

Pietas exprimitur.

Recordare potum fellis,
Et aceti, quod tenellis

Labijs apponitur.

Recordare quo pauore
Heli clamans in dolore,

Se relictum queritur.

Recordare, quem tremorem
Terra præfert, Sol horrorem,

Dū Lux Mundi moritur.

Recordare quo liuore
Manat vnda cum cruore,

Dum cor Nati foditur.

Recordare quo mucrone,
Charæ Prolis in agone

Pectus Matris scinditur.

Recordare per quem plan-
ctum,

Cor-

Corpus eius sacrosanctum
Cruce mox deponitur.
Recordare quo conductu,
Quanto fletu, quali luctu
Sepulturæ traditur.

PARS IV.

Recordare, precor, NATI,
Cur volebas tot hunc pati
Pœnas & opprobria?
Recordare quo Maiestas,
Quo par Tibi se Potestas,
Quo demisit Gloria.
O quæ traxit vis Amoris,
Vt portaret tot doloris,
Innocens supplicia!
Verè summæ Pietatis,
Et immensæ Charitatis,
Isthæc sunt indicia.

24 HYM. DE VITA ET PASS.

In hac ergò tam fœcunda
Charitate nos emunda

• Vitiorum sordibus.

O fac CHRISTI cicatrices

Charitatis dent radices

Nostris fixas cordibus.

Amen.

S. BERNARDVS.

// O Homo! vide quid pro te patior,
Non est dolor sicut, quo crucior.
Ad te clamo, qui pro te morior,
Vide pœnas quibus afficior.
Vide clauos quibus confodior.
Et cum dolor sit tantus exterior,
Tamen intus est planctus grauior,
Cum te tam ingratum experior.

AD

AD SEPTEM EFFUSIONES SACRATISSIMI Sanguinis IESU Christi,
contra septem peccata
mortalia.

I. IN CIRCUMCISIONE,

Contra Luxuriam.

AVE IESU qui cruorem
Tener fundis, & laborem
Subis ab infantia
Ut purgemur à peccatis,
Cor, os, sensus vanitatis
Fac nescire vitia.

Aue Maria.

II. IN AGONIA.

Contra Superbiam.

AVE IESU, dum orabas
Horto, sanguinẽ sudabas,
Nostra portans crimina.
Fac deuotè Te rogemus
Prom-

Promptè nos humiliemus,
 Procul à Superbia.

Aue Maria.

III. IN FLAGELLATIONE.

Contra Irā.

A Ve IESV laniatus
 Diris flagris, nil turbatus,
 Stas perfusus Sanguine.
 O fac nobis Crux dulcescat,
 Vincens Irā mens mansuescat,
 Læta sub grauamine.

Aue Maria.

IV. IN CORONATIONE.

Contra Gulam.

A Ve IESV, Coronatus,
 Heu quam largâ purpura-
 Stas cruoris copia! (tus
 Fac Voluptas spiritalis
 Trahat nos, non vis carnalis,
 Ne grauemur Crapulâ.

Aue Maria.

V. IN

V. IN VESTIVM DE-
TRACTIONE.

Contra Avaritiam.

A Ve IESV, renouatur
Tibi dolor, dum raptatur
Vestis è Vulneribus.
Nudi nudum te sequamur,
Christe tibi, fac iungamur
Liberis affectibus.

Aue Maria.

VI. IN CRUCIFIXIONE.

Contra Acediam.

A Ve IESV Cruci clavis
Neruis ruptis adaptaris,
Sacro madens flumine.
Amor Cruci nos configat,
Purget, vrat, & transfigat
Vt amemus intimè.

Aue Maria.

VII.

VII. IN CORDIS
APERTIONE.

Contra Inuidiam.

AVE IESV qui sacratum
Cor das nobis, dilatatum,
Fontem pandens gratiæ.
Aqua lauet, Sanguis ornet,
Et nos duplex Amor formet
Nescios Inuidiæ *Ave.*

S. AVGVSTINVS.

Inspice Vulnera Pendentis, Sanguinem Morientis; Pretium Redimentis; Caput habet inclinatum ad osculandum; Cor apertum ad diligendum; Brachia extensa ad amplectendum, totum Corpus expositum ad redimendum. Hæc quanta sit cogita. Hæc in statera cordis appēde: vt totus tibi figatur in corde, qui totus pro te fixus fuit in Cruce.

AVE

SALVTATIONES
AD QVINQVE CHRIS-
TI VV LNERA.

*Vnà cum Petitione Præcipuarum
Virtutum.*

AD VVLNVS DEXTRI PEDIS.
Pro Humilitate.

SALVE vulnus gratiosum
CHRISTI fluens sanguine.
Cor da mihi fructuosum,
Omni carens crimine.
Simplex, humile, zelosum,
Quærens Te purissimè.

AD VVLNVS SINISTRI
PEDIS.

Pro Castitate.

SALVE plaga per amœna
Nostra tu redemptio:
Per te fiat in me plena
Carnis castigatio.

Casto

Casto flagret mens serena
Tui desiderio.

AD VVLNVS DEXTERAE.

Pro Obedientia.

Salve rubens ex cruore,
IESV plaga dexteræ.
Fac dolorem cum feruore
Tuum gustem intimè,
Tibi, corde, factis, ore
Paream promptissimè

AD VVLNVS SINISTRVM.

Pro Patientia.

Salve leuæ Vulnus Christi
Sanguineque roseum
Fac me quouis casu tristi
Mitem & pacificum,
Cunctis quos Tu redemisti
Lenem ac beneuolum.

AD

AD VVLNVS CORDIS.

Pro Charitate.

Salue scissum cum dolore
 IESV cor dulcissimum.
 Nobis patens ex amore,
 Præsta mihi gaudium;
 Et virtutum cum splendore
 Amoris incendium.

AD CAPVT.

Pro mortificatione Sensuum.

Salue spinis cruentatum
 Reuerendum Angelis,
 Cæsum, tusum, conspurcatum
 Caput dulce miseris.
 Sensum da mortificatum
 Illustratum gratijs.
Pater noster. Aue Maria.

DE

DE SEPTEM
VERBIS

A Christo in Cruce prolatis.

I. VERBUM.

AVE IESV, qui mactaris,
Sed tortorū mox precaris
Culpæ Patrem parcere.
Promptè fac nos indulgere,
Et lædentibus fauere
Corde, verbis, opere.

II. VERBUM.

AVE IESV qui Latroni
Pænitenti summi Boni
Promisisti gratiam.
Talinos contritione
Nunc & mortis in agone
Fac mereri veniam.

III.

III. VERBUM

Aue IESV, qui præsentem
Cruci Matrem, heu, dolentem
Commendas Discipulo.

Pari nostuere curâ;
Adsit Mater quoque pura
Quæ quis in periculo.

IV. VERBUM.

Aue IESV, qui dixisti,
Pater, quid me reliquisti
Tantis in supplicijs?
Ne nos linquas vt ruamus,
Semper tecum persistamus
Fortes in angustijs.

V. VERBUM.

Aue IESV qui clamasti
SITIO, sed fel gustasti,
Tu, qui pascis omnia.
Fac æterna nos ambire,
Mundi, Carnis, non sitire,
Vana desideria.

D

VI. VER.

VI. VERBUM.

AVE IESV, consummasti
 Iussa Patris, & donasti
 Nobis Vitæ merita.
 Benè fac nos inchoare,
 Sed & ritè consummare
 Tua beneplacita.

VII. VERBUM.

AVE IESV, Passionem
 Mortis claudens per agonem,
 Patri tradis animam.
 O Mors tua nos emundet,
 Vita donis nos fœcundet;
 Mortem det tutissimam.
Pater noster.
Aue Maria.

O.R.A.

ORATIO AD IESVM.

O Bone IESV, ô pijsſime Ieſu, ô dulciſſime Ieſu, ô Ieſu fili MARIÆ Virginis, plene miſericordia & pietate. O dulcis Ieſu ſecundùm magnã miſericordiam tuã miſerere mei.

O clementiſſime Ieſu, deprecor te per illũ ſanguinem pretioſum, quem pro peccatoribus effundere voluiſti, vt abluas omnes iniquitates meas: & in me respicias miſerum & indignum humiliter veniam petentem, & hoc nomen ſanctum Ieſu inuocantem.

O nomen IESV, nomen dulce: nomen Ieſu, nomen delectabile: nomen Ieſu, nomen confortans. Quid eſt enim Ieſuſ

D 2

ſus

sus nisi Saluator? Ergo Iesu
 propter nomē sanctum tuum
 esto mihi Iesus, & salua me: ne
 permittas me damnari, quem
 de nihilo creasti.

O bone IESU, ne perdat
 me iniquitas mea, quem fecit
 omnipotens bonitas tua, O
 dulcis Iesu, recognosce quod
 tuum est, & absterge quod a-
 lienum est.

O benignissime Iesu, mise-
 rere mei, dum tempus est mi-
 serendi, ne damnes me in tem-
 pore iudicādi. Quæ utilitas in
 sanguine meo, dum descende-
 ro in æternam corruptionem?
 Nō mortui laudabunt te Do-
 mine Iesu, neque omnes qui
 descendunt in infernum. O a-
 man-

mantissime Iesu, ô desideratissime Iesu, ô mitissime Iesu.

O Iesu, Iesu, Iesu, admitte me intrare in numerum electorum tuorum, O Iesu salus in te credentium. O Iesu solatium ad te confugientium. O Iesu dulcis remissio omnium peccatorum. O Iesu Fili Mariæ Virginis, infunde in me gratiam, sapientiam, charitatem, castitatem, humilitatem, ut possim te perfectè diligere, te laudare, te perfrui, tibi seruire & in te gloriari, & omnes qui inuocant nomen tuum, quod est Iesus, Amen.

ψ. Sit nomen Domini benedictum.

R. Ex hoc nunc & vsque in seculū.

D 3

DEVS

Oratio.

DEVS qui gloriosissimum
 Nomen IESV Christi Fi-
 lij tui Domini nostri fecisti fi-
 delibus summo suavitatis af-
 fectu amabile, & malignis spi-
 ritibus tremendum atque ter-
 ribile : concede propitius, vt
 omnes qui hoc Nomen Iesu
 deuotè venerantur in terris,
 sanctæ consolationis dulcedi-
 nem in præsentì percipiant, &
 in futuro gaudium exultatio-
 nis & interminabilis beatitu-
 dinis obtineant in Cœlis. Per
 eundem Dominum Iesum
 Christum Filium
 tuum, &c.

PIO

PIO LECTORI.

POST QUAM vitam Christi
 Saluatoris Rosario Rythmico,
 & grata ad vsum quotidianum me-
 thodo, breuiter adornaueram; pu-
 tauī similem operam Beatissimæ
 Redemptoris Matri, eiusq; cultori-
 bus non ingratham fore maximè cū
 pij in Deum affectus argumentum
 sit, deuotum quoque in Dei Ma-
 trem animum gerere.

Offero itaque tibi vnà cum prio-
 re, hoc Rosarium Deiparæ. In vtro-
 que hoc potissimùm spectauī, vt
 Christi, & Matris eius Mariæ Vi-
 tam ac Elogia præcipua, velut vno
 fasce & intuitu tibi ponerē ob ocu-
 los; & deuotis pariter meditationi-
 bus, & pijs affectibus materiã sug-
 gererem. Quid præstiterim, nescio;

cōsciū dūtaxat laboris, quo sanè nō modico stetit hæc opera. Sed solatiū illius, ac pretium erit, Christo, eiusq; Matri placuisse; & tibi, mi lector, profuisse; aut saltē, utrūq; voluisse.

Tu itaque alternis piæ mentis exercitijs Christum & Christi Matrem cole: Grator autem ipsis, aut vtilior tibi culcus non erit, quam si imitari studeas, quos colis. Præclara vtrobiq; omnium virtutū exempla fulgent; eaq; passim ROSARIUM vtrūq; satis indicat. De Christi vita ac virtutibus tum meditandis, tum imitandis pauca præfatus sum supra. Sed nunc quid potissimum in Christi Matre mireris, ac imiteris, id malo vt ex mellifluo Ambrosij ore discas. (Sit vobis (inquit ille) tanquā in imagine descripta Virgini-

ginitas, Vitaque B. Mariæ, de qua velut speculo relucet species castitatis, & forma virtutis. Hinc sumatis licet exempla viuendi, vbi tanquam in exemplari magisteria expressa probitatis, quid corrigere, quid effugere, quid tenere debeatis, ostendunt. Virgo erat non solum corpore, sed etiam mente. corde humilis. verbis grauis, animo prudens, loquendi parcior, legendi studiosior, intenta operi, verecunda sermone, arbitrum mentis, solita non hominem, sed Deum quærere.

Nihil toruum in oculis, nihil in verbis procax, nihil in actu inuerecundū. *Et post multa subdit,*

D 5 Ta-

Talis denique fuit M A R T A,
 vt eius vnus vita omnium di-
 sciplina fit. Si igitur auctor nō
 displicet, opus probemus; vt
 quicunq; eius optat prēmium,
 imitetur exemplū, &c. *Hæc Am-
 brof. lib. 2. de Virginib.*



R O S A R I V M
 B E A T I S S I M Æ V I R G I N I S
 M A R I Æ,

*Vitam eius ac Elogia præcipua
 continens.*

DE-

SALVE MATER Pietatis,
 Quam totius TRINITATIS
 ORDINAT concilium.

Vt Æternum, Increatum
 VERBUM Patris, Incarnatum
 Gignas mundo FILIVM.

PATER NOSTER.

Gaude Cœlum & mirare;
 Psalle Terra; plaude Mare;
 Deum laudent omnia.

Nam CREATOR Potens iure,
 Nouo fœtu Creaturæ
 Noua parat gaudia.

Aue Maria.

O quam felix & præclara;
 DEO grata, nobis cara
 Virginis CONCEPTIO!

Quæ Parentes infœcundos,
 Beat Prole, nos immundos
 Vitæ beneficio.

Aue,

O quam

60 ROSARII B. VIRG.

O quam præstans atque pura,
Quæ transcendens carnis iura
Nescit improperium!
Quæq; clausum pandet Cœlū,
Recreabit & anhelum
PATRVM desiderium.

Aue Maria.

O faceffe grauis mora,
Vt Confurgens mox AVRORA
Mortis vmbra finiat.
Seden, ORTVM nacta purum,
PVLCHRA TOTA iam venturū
Mundo SOLEM nunciat.

Aue Maria.

O Beata, quæ futura
Dei Mater es Naturâ;
Nobis Mater Gratia.
Paradisus Voluptatis,
Et Asylum Libertatis,
Domus Sapientia.

Aue Maria.

No-

Nouum zeli mox exemplum
 Dastenella, petens Templum
 Præsentanda Domino,
 Et ter quinos trima scandis
 Gradus, prima casto pandis
 Vota libens animo.

Aue Maria.

Hinc deuota famularis,
 Manens templo, nec lassaris
 Domini seruitio.
 Psallis, oras, & laboras;
 Nil detrectas, quin honoras
 Proximos officio.

Aue Maria.

Nunc accendunt omnem sexū,
 Pietatis per amplexum
 Virginis vestigia.
 Quæ à PATRE præelecta;
 VERBI Mater est effecta,
 SPIRITVS ex gratiâ.

Aue Maria.

62 ROSARII B. VIRG.

Ergo Matrem Saluatoris
Votum cordis, & vox oris
Celebret in iubilo.

Cuius ORTVS medicinam,
Cuius VITA vim diuinam
Dat languenti sæculo.

Aue Maria.

Te rogamus voto pari,
Fac nos portu salutari
DEI sistat gratia.

Da Virtutem castæ mentis;
Ne, quem calcas tu, Serpentis
Perdat nos versutia. *Aue.*

PATER summe Maiestatis,

IESV fons Clementiæ,

SPIRITVS ô Sanctitatis

DEVS Vnus Gloriæ,

Tibi laus pro Pietatis

Dono tam eximie.

Sit Patrona desolatis

MATER plena Gratiæ.

SALVE Virgo SALVTATA,
 Et mox Fructu fœcundata,
 Quo SALVANTVR sæcula.

VERBUM Virgo concepisti,
 Gabrieli dum fuisti

Paranymphe credula.

PATER NOSTER.

REGI Regum quàm fuisti
 Cara Sponsa! placuisti;

Par in SPINIS LILIO:
 Sic est nostra iam natura,
 Sed non iuxta sua iura,
 Dei nupta FILIO.

Aue Maria.

Concepisti VIRGO DEVM,
 Paris, lactas, nutris eum,
 FERS PORTANTEM omnia.

Cibum PANI, potum FONTI,
 Victum VITÆ, cunas MONTI,
 LYCI præbes lumina.

Aue Maria.

Tu

64 ROSARII B. VIRG.

Tu naturæ contra ritum,
Arcto prægnans Infinitum
Ventre gestas paruula.
Homo DEVM, Stella SOLEM,
Nata PATREM, Virgo PRO-
ANTIQUVM Iuuecula. (LEM,
Aue Maria.

Vno sinu claudis Agnum,
Et Leonem, Paruum, Magnû,
Finem & Principium.
Et Mortalem, Æternumque,
Et Cœlestem, Terrenumque
Seruum atq; Dominum.
Aue Maria.

Sed ô miram nouitatem!
Augēt Matris castitatem
Filiij conceptio!
EVA tulit maledictum;
AVE mortis tollit ictum,
Cedit iam deceptio.

Aue Maria. EVA

EVA priuat spe Salutis;

Sed MARIA seruitutis

Liberat opprobrio.

Prima Parens nobis luctum,

Sed Secunda vitæ fructum

Protulit cum gaudio.

Aue Maria.

Quis non laudet & lætetur?

Quis non gaudens admiretur

Opus tantæ gratiæ?

Vt ascendat Homo reus,

Quò descendit potens DEVS

Serui tectus specie!

Aue Maria.

Huius nodum Sacramenti

Non subtilis vnquam menti

Pandet indagatio.

Nosse modum non est meum:

Scio tamen POSSE Deum,

Quod nō capit Ratio. *Aue.*

E

IE-

66 ROSARII. B. VIRG.

IESV nostræ Spes salutis,
Et Redemptor seruitutis;
 Nostra Pax & Gloria.
Quia seruis redimendis
Seruus factus huc descendis,
 Te collaudent omnia.

Aue Maria.

Et tu Virgo tam præclara,
In qua gesta tam sunt rara
 Domini mysteria.
Per hæc, precor, nos peccatis,
Et terrenæ prauitatis
 Exime miseriam. *Aue.*

PATER *summæ Maiestatis*
 IESV *fons Clementiæ.*
SPIRITVS *ô Sanctitatis,*
 DEVS *Unus Gloriæ.*
Tibi laus pro Pietatis
 Dono tam eximiæ.
Sit Patrona desolatis
 MATER *plena gratiæ.*

SALVE sancta Christi Parens,
 Salve Virgo labe carens,
 O Flos salve Virginum.
 Donum gestans singulare,
 Et datura sine pare,
 Mox Ancilla Dominum.

PATER NOSTER.

Pergens ergò post conceptum
 Per montana, mox effectum
 Tantæ pandis Gratia.
 Hinc cum Matre Visitata,
 Sensit Proles nondum nata
 Tuæ vim præsentia.

Aue Maria.

Dum se Matres amplexantur,
 Mox vtrunque reuelantur
 PROLIVM magnalia.
 O quam pium fert Amorem,
 Quantum præbet & Honor
 Virginis præsentia!

Aue Maria. E 2

68 ROSARII B. VIRG.

Quisquis ergo sis, memento,
Quantum tui munimento

Fauor profit Virginis.

CVI DEVS Maieftatis

MAGNA tot, vi potestatis

Causâ FECIT hominis.

Aue Maria.

// Hæc est VIRGA ferens Florẽ;

Felix TERRA, Saluatorem

Germinans fidelibus.

In hac Manna Cœli rore

Creuit, grato quod sapore

Robur addit mentibus.

Aue Maria.

Caput Anguis Hæc contriuit,

In quâ carni se vniuit

Summæ DEVS Gloria.

Nihil ira trux Serpentis,

Nihil in hanc vis frementis

Potuit Inuidiæ.

Aue Maria.

HÆC

HÆC est ille FONS signatus,
 HORTVS clausus, & rigatus
 Gratiaë fluminibus.

HÆC est VELLVS trahens rore;
 AGER plenus dans odorem
 Cunctis terræ finibus.

Aue Maria.

HÆC est THRONS Salomo-
 Cui nullus par in donis, (nis,
 Arte vel materiâ.

Ebur candens CASTITATIS,
Aurum fulgens CHARITATIS
Notat Priuilegia.

Aue Maria.

ARCA, TVRRIS Hæc vocata,
 Et Castrorum ordinata
 ACIES terribilis.

LIGNVM Vitæ, SCALA Cœli,
 Omnipatens VRBS Fideli,
 MATER Admirabilis. *Aue.*

E 3 POR-

70 ROSARIUM B. VIRG.

PORTA Cœli, TEMPLŪ DEI,
MARIS PORTVS, ad quem rei

Currunt cum fiducia.

Nec auditum quod salutis

Implorata destitutis

Deneget auxilia.

Aue Maria.

Nonne Magnus Prophetarū

Mox percepit iubar clarum

Salutante Dominâ?

Et quis erit peccatorum

Quem non diues meritorum

Beet tanta Fœmina? *Aue.*

PATER summa Maiestatis.

IESV fons Clementiæ.

SPIRITVS ô Sanctitatis,

DEVS Vnus Gloriæ.

Tibi laus pro Pietatis

Dono tam eximie.

Sit Patrona desolatis

MATER plena gratiæ.

SALVE Mater noui moris,
 Expers paris quæ doloris
 Saluatorem Gentium;
 Nil hic fœdū, nil probrosum;
 Talē Matrem tam formosū
 Decet Puerperium.

PATER NOSTER.

Gigas velox, Princeps fortis,
 Et Dux nostræ victor mortis
 Accinctus potentiâ;
 Ad currendam venit viam,
 Complens in se Prophetiam,
 Legisq; mysteria.

Aue Maria.

Sed ô vilis apparatus!
 Cœli REX ac Terræ natus,
 Vili iacet stabulo!
 Chorus canit Angelorum,
 Gaudens adest Plebs Pastorū,
 Bruta sunt obsequio.

Aue Maria. E 4

72 ROSARII B. VIRG.

Dulce Mater Os lactauit,
Cuius manus nos formauit,
Escam parans omnium,
Qui se N A S C E N S in Consortē,
Et in Lytrum P A S S V S Mortē,
R E G N A N S dat in Præmiū.

Aue Maria.

Sed cur Mater summi Regis,
Vltrò subis iussa legis,
Parens, sed E X I M I A?
P V R A Tota cur purgari?
Aut cur Pauper vis Altari
Dona ferre vilia?

Aue Maria.

Pulcra Trias ô Virtutum!
Quibus claret hîc imbutum
M A T R I S C O R & F I L I I!
O B E D I R E tam paratis,
Par est Amor P V R I T A T I S,
Par P A V P E R T A S animi.

Aue Maria.

Quos trāsgressor necat pomo,
 Christus saluat, factus Homo,
 Miro prorsus ordine.
 Adam peccans per Consortē,
 Perdit nos, sed Christus mortē
 Destruit in Virgine.

Aue Maria.

Ecce sexus hic peccando,
 Primus fuit, & errando
 Mortem tulit saeculo.
 Quod inuertens pius Pater,
 Fecit, vt iam Virgo Mater
 Vitam det cum FILIO.

Aue Maria.

En ô Mater Pietatis,
 Quantam nostris dent erratis
 Tua spem praesidia!
 Per Te DEVM quærit reus,
 Ad quem per te venit DEVS,
 Tu amborum media. *Aue.*

E S Num

74 ROSARII B. VIRG.

Num abhorres Peccatores,
Sine quibus nunquam fores

Tanto clara FILIO?
Si non essent redimendi;

Nulla tibi pariendi
Redemptorem ratio.

Aue Maria.

Sed, quã prompta sis Amore,
Et Materni cordis more

Opem ferre miseris;
Monstrat signi spes diuini,
Dum pro Sponsis curam vini
Supplex Nato suggeris. *Aue.*

PATER *summe Maiestatis,*
IESU *fons Clementie.*

SPIRITVS *ô Sanctitatis,*
DEVS *Vnus Glorie.*

Tibi laus pro Pietatis

Dono tam eximie.

Sit Patrona desolatis

MATER plena gratie.

SALVE Mater speciosa,
 Et iam Cælo Gloriosa,
 Omni fulgens sæculo.
 Inde, precor, nos tueri
 Perge, gaudens misereri
 Naufraganti populo.

PATER NOSTER.

Qui surrexit vincens mortem,
 Cælo locat te consortem,
 Patris sedens dexterâ.
 Miro gaudes aucta dono,
 Dum sublimi fulges Throno,
 Cæli calcans Sydera.

Aue Maria.

Sed nec Terrâ fas abscondi
 Corpus, ex quo Factor Mūdi,
 Et Rex Cæli prodijt.
 Nempè carnis vincit iura,
 Quæ æternūm permanfurâ
 VERBUM Carne vestijt.

Aue Maria.

Ex-

76 ROSARII B. VIRG.

Exaltatæ supra cœlos
O quo plausu dulce melos
Cœli canunt Agmina!
Quidni? Cœlo, Terra, Mari,
Virgo debes celebrari,
Vndequaque Domina?

Aue Maria.

Ergo Virgo sic promotâ
Causâ nostri, nostra vota
Promouenda suscipe.
Quod si reos sancta spernis
Vt quid sis prælata Ternis
Hierarchijs, respice.

Aue Maria.

En hac valle lacrymarum
Nihil constans, nihil clarum;
Suspecta sunt omnia.
Quid hic nobis erit tutum?
Cum nec ipsa vel virtutum
Tuta sic victoria?

Aue.

Ca-

Caro nobis aduersatur;
Mundus carni suffragatur,
In nostram perniciem.
Hostis inlat nos infestans,
Nunc se palam manifestans,
Nunc occultans rabiem.

Aue Maria.

Tot ac tantis lacesiti,
Non valemus, heu, reniti,
Arte vel industriâ.
Hinc peccamus, & punimur;
Hinc diuersis irretimur
Laqueis per noxia.

Aue Maria.

Sed Maria Mater Dei,
 Tu post Natum firma S P E I
 Anchora Fidelium.
 Tu Solatrix miserorum,
 Et Patrona Peccatorum
 Pressis fer auxilium.

Aue Maria.

In-

78 ROS. B. VIRG. DEC. V.

Intendentes tuæ laudi,

Nos attende, nos exaudi,

Nos à morte libera.

Quæ post Christū prima sedes,

Inter Nati Cohæredes,

Cientes annumera. *Aue.*

Natus Patri cruentatum

COR, & corpus vulneratum,

Tu ostendes Vbera.

Et quis possit non audiri

Vbi constat tot vniri

Amoris Insignia? *Aue.*

PATER *Summæ Maiestatis,*

IESU *fons Clementiæ,*

SPIRITVS *ô Sanctitatis*

DEVS *Vnus Gloriæ,*

Tibi laus pro Pietatis

Dono tam eximie,

Sit Patrona desolatis

MATER *plena Gratiæ.*

S A-

SALVTATIONIS

ANGELICÆ

Elogium & Excellentia ex lib.

Soliloq. Thomæ de Kemp-
pis longè pijsimo.

Humiliter ac reuerenter, deuotè
& confidenter, ad te procedo,
Gabrielis portans in ore Salutatio-
nem, tibi suppliciter offerendam:
quam & inclinato capite, ob tui re-
uerentiam, & expansis manibus, ob
eminentem deuotionis affectum, letè
represento: atque eandem centies
millesies, & multò amplius, ab om-
nibus cœlestibus Spiritibus, pro me
dici peto & exoro. Nam quid di-
gnius, & dulcius pro presenti offe-
ram prorsus ignoro.

Auscultet nunc sancti nominis
tui pius amator: Cœlum gaudet,
stupet

stupet omnis terra, cum dico, Ave
Maria. Satan fugit, infernus con-
tremiscit, cum dico, Ave Maria.
Mundus vilescit, Caro marcescit,
cum dico, Ave Maria. Abscedit
tristitia, venit noua letitia, cum di-
co. Ave Maria. Torpor euanescit,
cor ex amore liquefcit, cum dico: A-
ue Maria. Crescit Deuotio, oritur
Compunctio, Spes proficit, augetur
Consolatio, cum dico Ave Maria.
Recreatur animus, & in bono con-
fortatur eger affectus: cum dico A-
ue Maria; siquidem tanta est sua-
uitas huius benedictæ Salutationis,
vt humanis non possit explicari ver-
bis: sed semper manet altior & pro-
fundior; quàm non omnis creatu-
ra indagare sufficiat. Propterea i-
terum flecto genua mea ad te San-
ctis-

Etissima Virgo MARIA, & dico:
 Ave Maria, gratia plena. Susci-
 pe clementissima Domina mea, S.
 MARIA, hanc deuotissimam sa-
 lutationem, & me in ea suscipe, vt
 aliquid habeã, quod tibi gratè pla-
 ceat, quod mihi fiduciam ad te præ-
 stet, quod maiorem semper amorem
 accendat, ac in iugi deuotione tui
 venerandi nominis conseruet.

Sed & nunc in presentia tua
 prostratus, & sincera deuotione in-
 uitatus, atque totus in veneratione
 almi flui nominis tui accensus, re-
 presento tibi letitiam salutationis
 istius: quando Gabriel Archange-
 lus à Deo missus, secretarium tha-
 lami tui est ingressus, & flexis reue-
 renter genibus, noua & inaudita à
 seculo salutatione, tuam virginalē

F fa-

faciem honorauit, & dixit: Aue gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus. Quā & ego fidelium more, & aureo si possem ore ex integro cupio persoluerere: atq; vt mecū omnes creaturæ pariter loquantur, ex intimis visceribus concupisco: Aue Maria, &c.

Hæc est Salutatio Angelica, Spiritus Sancti institutione formata, tuæ maximæ dignitati & sanctitati congrua. Hæc est Oratio parua verbis, alta mysterijs: breuis sermone, lata virtute: super mel dulcis, & super aurum preciosa: ore cordis iugiter ruminanda, labijsq; puris frequentissime legenda ac repetenda. Nam verbis paucissimis contexitur, & in latissimum torrentem cœlestis suauitatis diffunditur. Sed v& fasti-

SALVT. ANGEL. 83

fastidiosis: v& indeuotis & vagis oratoribus, aurea verba non ponderantibus, nec mell a pocula gustantibus, qui toties dicunt, Ave Maria, sine attentione & reuerentia.

Hæc adiunximus in gratiam eorum, quibus nō sapit toties repetitum, AVE MARIA.

PAVLVS V. Pontifex concessit recitantibus AVE MARIA ad horæ pulsum, centum dies indulgentiarum.

S. BERNARDVS

Maria sinum omnibus misericordie aperuit, vt de plenitudine eius accipiant vniuersi, captiuus redemptionem, aeger curationem, tristis consolationem, peccator veniam, iustus gratiam Angelus lætitiā: Deniq, tota Trinitas gloriam. Filij persona carnis humane substantiam.

MEDITATIO PIA
IN SALVTATIONEM
ANGELICAM,

*Numero versuum annum ætatis in-
dicans, qua MARIA Virgo ab An-
gelo salutata & DEI Mater
facta est.*

AVE Virgo, SPES Salutis;
EVA tulit seruitutis,
Tu tollis opprobrium.
O MARIA desperatis
Das solamen, & damnatis
Vitæ reddis præmium.
GRATIA tu singularis,
Maris stella, SOLEM paris,
Dei gignens Filium.
PLINA fluis, imò pluvis
Aquam Vitæ, malæ luis,
Præ-

IN SALVT. ANGEL. 85

Præfens dans remedium.

DOMINVS, qui cuncta regit,
Sibi Sponsam te selegit;
Dominamque Gentium.

TECVM manens, te muniuit,
Caput Anguis mox contri-
Nobile commercium. (uit

BENEDICTA quæ præcellis
Et matronis & puellis,
Clara priuilegio.

Tv fons roris, vena mellis,
Tota dulcis, nulli fellis
Subdita contagio.

IN te nihil indecori,
Hinc te laudât omnes Cho-
Supernorum Ciuium. (ri

MVLIERIBVS honore
Præis Mater, at amore
Pari flagras omnium.

Et quis tantæ puritatis;

F 3

Aut

86 MEDITAT PIA

Aut persoluat dignè satis
Virginis præconium ?

BENEDICTVS, qui fit Homo,
Seruans, quos damnauit
pomo

Adam primus hominum :
FRUCTVS mirè delicatus,
Et in cibum nobis datus
Robur fit egentium.

VENTRIS casti natus flore,
Verùm satus Cœli rore
Fructum pellit noxium.

TVI sumus, en, Clientes,
Tuis Mater, & gementes
Duc ad Cœli gaudium.

S. BERNARDVS

Homil. 4. super missus.

*Ne auertas oculos tuos à fulgore
huius sideris (Marie) si non vis ob-
rui*

*vui procellis: si insurgunt venti tenta-
tationum, respice stellam, voca Ma-
riam, &c. Ipsam sequens non deuias:
Ipsam rogans non desperas, Ipsam
cogitans non erras. Ipsa tenente
non corruis. Ipsa protegente non me-
tuis. Ipsa duce non fatigaris. Ipsa
propitiâ peruenis, & sic in temetipso
experiris, quam merito dictum fit:
& nomen Virginis Maria.*

DE SEPTEM GAUDIIS
B. MARIAE VIRG.

GAUDE Virgo Mater Chri-
Quia IESVM cōcepisti, (sti,
Gabriele nuncio.

Ergo Mater, fac saluemur,
Nam quod MATREM te fate-
Nostra Salus ratio. (mur,
Aue Maria.

II.

GAVDE Mater Deo plena,
Foetum paris sine poena,
Casta puerperio.

Eia Virgo peramœna,
Casto Natum mens serena,
Stringat desiderio.

Aue Maria.

III.

GAVDE quod ab Oriente
Magi stella prælucente
Dona ferunt Filio.

Fac donemur Pietate,
Fide, Spe, & Charitate,
Cum Pudoris lilio.

Aue Maria.

IV.

GAVDE, quia dulcis Nati,
Quem vidisti mortem pati
Fulget Resurrectio.

Fac

Fac ab imo vitiorum
Surgat mens, & supernorum
Gustum spiret Actio.

Aue Maria.

V.

GAVDE Cœlos Ascendente
Nato, vides quem repente
Motu ferri proprio.

Via vitæ restitutâ,
Quam post Natum tu secuta,
Fac sequamur serio.

Aue Maria.

VI.

GAVDE quia Paracletus
Missus Cœlo, novos fœtus
Igne format Entheco.

Igne sacri nos Amoris
Fac accendi, ne laboris
Capiamur tædio.

Aue Maria.

VII.

90 DE SEPTĒM GAUDIIS
VII.

GAVDE quæ post Christum
scandis

Astra Cœli, fisque grandis,
Filiij consortio.

O fac Fructu Ventris tui
Per te nobis detur frui
In perenni gaudio.

Aue Maria.

S. BERNARDVS
Ad illud Luc. 2. Inuenisti gra-
tiam apud Deum.

*Semper (inquit) MARIA in-
ueniet gratiam, & sola est gratia
qua egemus, sola est gratia quâ sal-
uamur. Quid nos alia cupimus?
Queramus gratiam, & per MA-
RIAM queramus, quia ipsa quod
querit, inuenit, & frustrari non
potest.*

HYM-

H Y M N V S

*De septem Doloribus Beatissimæ
Virginis MARIAE.*

I.

AVE Dulcis Mater Christi,
Quæ cor tuum gladio
Transfigendum audis tristi
Senis vaticinio.
Tanti memor fac doloris,
Mihi sis præsidio:
Vt post vallem hanc mœroris
Cœli reddar gaudio.

Aue Maria.

II.

AVE Dulcis Mater Christi,
Quæ præ Regis furia,
Sæuientis cæde tristi,
Fugis exul Patria.

O Re-

92 DE SEPTEM DOLOR.

O Regina Beatorum,
Memor sis Exilij;
Fac infractus vi malorum
Fiam consors Filij

Aue Maria.

III.

Ave dulcis Mater Christi,
Natum lugens inclytum.
O quam tristis quæsiuisti
Triduo iam perditum!
Huius memor ô doloris,
Christum fac inueniam,
Et inuentum per Amoris
Nexum semper teneam.

Aue Maria.

IV.

Ave dulcis Mater Christi,
Quæ dilectum Filium
Capi, cædi, flens vidisti
Manibus crudelium.

O per

O per pœnas Patientis
Nobis detur venia.

Per Amorem Condolentis
Matris, crescat gratia.

Aue Maria.

V.

AUE Dulcis Mater Christi,
Quæ sub Crucis stipite
Gemens, Natum morte tristi
Vides, heu, succumbere.

O per ensem hunc Doloris,
Quî tunc scidit animam;
Fac me firmet Vis Amoris
Mortis ad Victoriam.

Aue Maria.

VI.

AUE Dulcis Mater Christi,
Quæ de Cruce mortuum
Vlnis Natum suscepisti,
Madens vnda fletuum.

Eia

Eia præstet vis doloris,
 Mater plena gratiæ,
 Ut supremis seruet horis
 Gremio Clementiæ.

Aue Maria.

VII.

AUE dulcis Mater Christi,
 Quæ sepulchro conditum
 Plangens Natū heu quā tristi
 Mente voluis abitum!
 In virtute tot Dolorum,
 Quos tulisti fortiter;
 Omnem cōtra vim malorum
 Stare nos viriliter;
 Demum forte Beatorum
 Fac gaudere iugiter.

Aue Maria.

S. Av-

S. AVGVSTINVS

Omnes Maria patrociniā omni
 nisu imploremus, vt dum supplicii
 obsequio eam frequentamus in ter-
 ris, ipsa nos prece sedula commenda-
 re dignetur in cœlis. *ibid.* Non est
 dubium, eam quæ meruit pro libe-
 randis proferre pretium posse plus o-
 mnibus Sanctis, liberatis impendere
 suffragium. Te solum, ô MARIA,
 pro sancta Ecclesia sollicitam præ o-
 mnibus Sanctis scimus, quæ impe-
 tras inducias transgressoribus, vt re-
 nuncient suis erroribus.

Aspiratio Horaria ad B. V.

O MARIA Mater Gratia.

Mater misericordia,

Tu nos ab hoste protege,

Et in hora mortis suscipe.

Alius

*Alius Hymnus ad Beatam
Virginem.*

SALVE Virgo stirps beata,
 Fructu cuius instaurata
 Vitæ sunt primordia.
 In Salutem præparata,
 Desperatis spes optata,
 Ægris dans remedia.
 Iuga legis quos premebant,
 Ad te vota suspendebant
 Planctus & suspiria.
 In tormentis post te flebant,
 Te lamentis requirebant
 Captiuorum agmina.
 Templum facta Maiestatis
 Pulsos primæ dignitatis
 Ducis ad palatia.
 Paradisus voluptatis
 Tu virore sanctitatis
 Perfudisti sæcula.

VER-

VERBO foeta, partu læta,
Nobis datum profers Natum
Genitricum gloria.

Omni laude digna gaude,
Stella Maris, Sol quem paris,
Mundum replet gratiâ.

Stella fulgens, foelix ortus,
Cuius ductu Vitæ portus
Patet pulsus Patriâ.

Per te Christus edit pactum,
Cadit hostis ius confractum
Mortis filet curia.

Per te salui te collaudent,
Per te detur, quod non audent
Preces & mens conscia.

En nos culpæ moles premit;
Sed tu Nato, quos redemit,
Offer & concilia. Amen.

G

Alius

Alius ad B. Virginem.

O MARIA Virgo pia,
 Mater DEI, Cœli via,
 Angelorum Domina.
 Me conforta, me defende,
 Contra hostes manum tende,
 Delens quæq; crimina.

O MARIA Mater Lucis,
 Quæ ad lumen nos reducis.
 Esto mihi præuia.

Serui prompta preces audi,
 Et intentum tuæ laudi
 Christo reconcilia.

/// Ora Regem tuum Natum
 ♪ Ut me multis implicatum
 ♪ Liberet erroribus.
 ♪ Mundum reddat à peccatis,
 ♪ Et infundat Veritatis
 ♪ Lumen meis sensibus.

Cum

Cum feruore Charitatis, ”
Det amorem Puritatis, ”
Castum cor & humile. ”
Cor contritum, abnegatum, ”
Rectum, gratum, eleuatum, ”
Patiens & stabile. ”
Mores castos, & iucundos, ”
Et ab omni sorde mundos, ”
Quos exornet Pietas. ”
Appetitum Æternorum, ”
Et contemptum mundanorū, ”
Vbi tanta vanitas. ”
Et agenda doce nosse, ”
Velle simul, atque posse ”
Pro me pia postula. ”
At cum Mortis soluam iura, ”
Me defendas à pressura ”
Per æterna sæcula. ”

Amen.

S. Arnoldus Abbas Bonæual-
lis S. Bernardo Coæ-
taneus.

*Securum accessum habet homo
ad Deum, vbi mediatorem cause sue
Filiū habet ante Patrem, & ante
Filiū Matrem. Christus nudato
Latere Patri ostendit Latus & Vul-
nera; Maria Christo Pectus & V-
bera: nec potest vllō modo esse reput-
sa, vbi concurrunt & orant omni
lingua disertius hæc clementiæ mo-
numenta, & charitatis insignia. Di-
uidunt coram Patre inter se, Mater
& Filius Pietatis officia, & miris
allegationibus muniunt Redemptio-
nis humane negotium, & condunt
inter se reconciliationis nostre in-
violabile testamentum. Ita S. Ar-
noldus. habetur in Bibliothec.
SS. Patrum. HY-*

ioi

H Y M N V S

mirè deuotus ac
elegans,

HONORI DEIPARÆ
VIRGINIS

M A R I Æ,

A S. CASIMIRO, FILIO
CASIMIRI IAGELLONII
Regis Poloniae, compositus &
quotidie recitari so-
litus ;

*Qui Anno 1604. cum Sancti illius
Sepulcrum renouaretur, Ca-
piti ipsius suppositus re-
pertus est.*

G 3

Om-

OMni die dic **MARIÆ**
Mea laudes anima.

Eius festa, eius gesta
Cole deuotissima.

Contemplare & mirare
Eius celsitudinem,
Dic felicem Genitricem,
Dic beatam Virginem.

Ipsam cole, vt de mole
Criminum te liberet.
Hanc appella, ne procella
Vitiorum superet.

Hæc persona nobis dona
Contulit Cœlestia.
Hæc Regina nos diuinâ
Collustrauit gratia.

Lingua mea dic trophæa
Virginis puerperæ,
Quæ infictum maledictum
Miro transfert germine.

Si-

Sine fine dic Reginae
Mundi, laudum cantica;
Eius bona semper sona,
Semper illa praedica.

Omnes mei sensus ei
Personate gloriam.
Frequentate tam beatæ
Virginis memoriam.

Nullus certe tam disertæ
Extat eloquentiæ,
Qui condignos promat hym-
Eius excellentiæ. (nos

Omnes laudent vnde gau-
Matrem Dei Virginem. (dent
Nullus fingat, quod attingat
Eius celsitudinem.

Sed necesse, quod prodesse
Pijs constat mentibus,
Ut intendam, quod impendã
In ipsius laudibus. *Aue Maria.*

G 4 Quam-

Quãuis sciam, quod Mariam
Nemo dignè prædicet,
Tamen vanus & insanus
Quisquis illam reticet,
Cuius vita erudita,
Disciplina Cœlica;
Argumenta & figmenta
Destruxit hæretica.

Cuius mores tanquã flores
Exornant Ecclesiam.

Actiones & Sermones
Miram præstant gratiam.

Euæ crimen nobis limen
Paradisi clauferat.

Hæc dum credit & obedit,
Cœli claustra referat,

Propter Euam homo sæuã
Accepit sententiam;

Per Mariam habet viam
Quæ ducit ad Patriam.

HÆC

Hæc amanda & laudanda
 Cunctis specialiter;
 Venerari, prædicari
 Eam decet iugiter.

Ipsa donet, vt quod monet
 Natus eius, faciam:
 Vt finita carnis vita
 Lætus hunc aspiciam.

O cunctarum fœminarum
 Decus atque gloria.
 Quam electam & euectam
 Scimus super omnia.

Clemens audi, tuæ laudi
 Quos instantes conspicias.
 Munda reos, & fac eos
 Donis dignos cœlicis.

Virga Iesse, spes oppressæ
 Mentis & refugium,
 Decus mundi, lux profundi
 Domini sacrarium. *Ave Maria.*

Vitæ forma, morum norma
 Plenitudo gratiæ.
 Dei Templum & Exemplum
 Totius Iustitiæ.

Virgo salve, per quã valuæ
 Cœli patent miseris;
 Quam non flexit nec allexit
 Fraus Serpentis veteris.

Generosa & formosa
 David Regis Filia.
 Quam elegit Rex qui regit,
 Et creavit omnia.

Gemma decens, rosa recens
 Castitatis lilium,
 Castum chorum ad polorum
 Quæ perducis gaudium.

Actionis & Sermonis
 Facultatem tribue.
 Ut tuorum meritorum
 Laudes promam strenue.

Opro

Opto nimis vt inprimis
Des mihi memoriam.
Vt decenter & frequenter
Tuam cantem gloriam.

Quamuis muta & polluta
Mea sciam labia,
Præsumendum, nec silendum
Est de tua gloria.

Virgo gaude, omni laude
Digna & præconio.
Quæ damnatis libertatis
Facta est occasio.

Semper munda & fœcunda,
Virgo Tu puerpera.
Mater alma, velut palma
Florens & fructifera.

Eius flore & odore
Recreari cupimus,
Cuius fructu nos à luctu
Liberari credimus. *Aue Maria.*

Pul-

Pulcra tota sine nota
 Cuiuscunque maculae,
 Fac nos mundos & iucundos
 Te laudare sedule.

O Beata per quam data
 Noua mundo gaudia!
 Et aperta fide certa
 Regna sunt Cœlestia.

Per te mundus lætabundus
 Nouo fulget lumine,
 Antiquarum tenebrarum
 Exutus caligine.

Nunc potentes sunt egen-
 Sicut olim dixeras: (tes
 Et egeni fiunt pleni,
 Ut tu prophetaueras

Per Te morum corruptorū
 Delinquuntur deuia,
 Doctrinarum peruersarum
 Pulsa sunt præstigia.

Mun-

Mundi luxus atque fluxus
Docuisti spernere :
Deum quæri, carnem teri,
Vitijs resistere.

Mentis cursum tendi sursum
Pietatis studio,
Corpus анги, motus frangi,
Pro cœlesti præmio.

Tu portasti inter casti
Ventris claustra Dominum
Redemptorem, ad honorem
Nos reformans pristinum.

Mater facta sed intacta
Genuisti Filium :
Regem Regum, atque rerum
Creatorem omnium.

Benedicta, per quam victa
Mortis est sententia:
Destitutis spe salutis
Datur indulgentia.

Aue Maria.

Be-

Benedictus Rex Inuictus,
 Cuius Mater crederis.
 Nobis datus, ex Te natus,
 Nostri salus generis.

Reparatrix, Consolatrix,
 Desperantis animæ,
 A pressura quæ ventura
 Malis est, nos redime.

Pro me pete, vt quiete
 Sempiterna perfruar.
 Ne tormentis comburentis
 Stagni miser obruar.

Quod requiro, quod suspi-
 Mea sana vulnera; (ro
 Et da menti te poscenti
 Gratiarum munera.

Vt sim castus & modestus,
Dulcis, blandus, sobrius.
Pius, rectus, circumspectus,
Simultatis nescius.

Eru-

Eruditus & munitus

Diuinis eloquijs,

Timoratus, & ornatus

Sacris exercitijs

Constans, grauis & suavis,

Benignus, Amabilis,

Simplex, purus, & maturus

Patiens & humilis.

Corde prudens, ore studens

Veritatem dicere,

Malum nolens, Deum colens

Pio semper opere.

Esto tutrix & Adiutrix

Christiani populi;

Pacem præsta, ne molesta

Nos perturbent sæculi.

Salutaris stella maris

Summis digna laudibus.

Quæ præcellis cunctis stellis

Atq; luminaribus. *Aue Maria.*

Tua

Tua dulci prece fulci
Supplices, & refoue.

Quicquid grauat, vel deprauat
Mentes nostras remoue.

Virgo gaude, quod de frau-
Dæmonis nos liberas, (de

Dum in vera & syncera
Deum carne generas,

Illibata & dotata
Cœlesti progenie.

Grauidata nec priuata.
Flore pudicitiaë.

Nam quod eras, perseueras,
Dum intacta generas.

Illum tractans atque lactans,
Per quam facta fueras,

Commendare me dignare
Christo tuo Filio :

Vt non cadam, sed euadam
De mundi naufragio.

Fac

Fac me mitem, pelle litem,
Compesce lasciuiam,
Contra crimen da munimen
Et mentis constantiam.

Non me liget, nec fatiget
Sæculi cupiditas:
Quæ indurat & obscurat
Mentes sibi subditas.

Nunquam ira, nunquã dira
Me vincat elatio:
Quæ multorum fit malorum
Frequenter occasio.

Ora Deum, vt cor meum
Sua seruet gratia;
Nec antiquus inimicus
Seminet zizania.

Da leuamen & iuuamen
Tuum illis iugiter,
Tua Festa, siue Gesta
Qui colunt alacriter.

Aue Maria.

H

Oratio ad B. Virginem

M A R I A M.

O Dulcissima I E S V Mater
Virgo M A R I A, Patrona
mea visceribus misericordiae
plena, succurre mihi misero
peccatori, antequam mors sub-
itanea & improuisa superue-
niat: ne subito & imparatus
de hoc mundo transeam.

Ora pro me M A R I A Virgo
benedicta, ob vnigeniti Filij
tui Domini nostri I E S V Chri-
sti passionem ac mortem ama-
rissimam, vt peccati detesta-
tione; Diaboli & operu eius
abrenunciatione, vera contri-
tione, pura & humili confes-
sione; poenitentia & satisfac-
tione, digna Dei acceptione,
&

& proximi dilectione, filio tuo
reconciliatus de hoc mundo
tranſeam.

Et fac mecum miſericordiam
tuam. O Beata Virgo Maria,
Mater Dei in illa tremēda ho-
ra quando ſpiritus vitales de-
ficiunt; & mortua lingua ſe ne-
quibit mouere ad inuocandū
te; neque oculi mei lucem ca-
pere poterunt, auresque meæ
nulli vocī pateſcent: Memor
eſto tunc ô Maria precū, quās
nunc fundo ad aures tuæ pie-
tatis, & ſubueni mihi in illa vl-
tima hora neceſſitatis meæ, vt
liberer à miniſtris Diaboli &
collocer cum Chriſti fidelibus,
Filij tui ſeruis & amicis,

Amen.

AD B. V. MARIAM.

Obscuro te, Domina sancta
 MARIA Mater Dei, pie-
 tate plenissima, Summi Regis
 Filia, Mater gloriosissima, Ma-
 ter orphanorum, Consolatio
 desolatorum, Via errantium,
 Salus omnium in te sperantiū,
 Virgo ante partum, Virgo in
 partu, & Virgo post partum,
 Fons misericordiæ, Fons salu-
 tis & gratiæ, Fons consolatio-
 nis, & indulgentiæ, Fons pie-
 tatis & lætitiæ, Fons vitæ &
 veniæ: per illam sanctam &
 ineffabilem lætitiā, quā exul-
 tauit Spiritus tuus in illa hora,
 in qua tibi per Gabrielē Arch-
 angelum annuntiatus & con-
 ceptus Filius Dei fuit.

Et

AD B. V. MARIAM. 117

Et per illam sanctam ineffabilem humilitatem, in qua tu respondisti Archangelo Gabrieli: Ecce Ancilla Domini, FIAT mihi secundum verbum tuum: & per illud diuinum mysterium, quod tunc operatus est in te Spiritus sanctus, & per ineffabilem gratiam, pietatem, misericordiam, amorē, & humilitatem, per quas Filius tuus Dominus noster Iesus Christus descendit accipere humanam carnem in venerabilissimo utero tuo: & per gloriosissima gaudia, quæ habuisti de Filio tuo Domino nostro Iesu Christo.

Et per illam sanctam & maximam compassionē, & acer-

H 3

bissi-

bissimum cordis dolorem quē
habuisti, quando Filium tuum
Dominum nostrum I E S V M
Christum ante Crucem nuda-
tum, & in ipsa leuatum, pen-
dentem, crucifixum, vulnera-
tum, sitientem, amarissimum
potum, fel & acetum ori eius
apponi vidisti: Eli clamantem
audisti, & morientem vidisti.

Et per quinque vulnera eius-
dem Filij tui: & per contra-
ctionem viscerum tuorū, præ-
nimio dolore vulnerum suo-
rum: & per dolorem quem
habuisti, quando vidisti eum
vulnerari, & per fontes San-
guinis sui: & per omnem pas-
sionem eius, & dolorem Cor-
dis tui; & per fontes lacryma-
rum

AD B. V. MARIAM. 119

tum tuarum : vt cum omnibus Sanctis & Electis Dei venias, & festines in auxilium & consilium meum; in omnibus orationibus & petitionibus meis, in omnibus angustijs & necessitatibus meis, & in omnibus illis rebus, in quibus ego sum aliquid facturus, locuturus, aut cogitaturus, omnibus diebus ac noctibus, horis atque momentis vitæ meæ.

Et mihi famulo tuo impetres à dilecto Filio tuo Domino nostro Iesu Christo virtutū omnium complementū, cum omni misericordia & consolatione, omni consilio & adiutorio, omni benedictione & sanctificatione, omni salua-

H 4 tio-

tione, pace & prosperitate, omni gaudio & alacritate: etiã abundantiam omnium bonorum spiritualium, & sufficientiam corporalium, & gratiam Sancti Spiritus, qui me bene per omnia disponat, animam meã custodiat, corpus meum regat & protegat, mentem erigat, mores componat, actus probet, cogitationes sanctas instituat, præterita mala indulgeat, præsentia emendet, & futura moderetur: vitam honestam & castam mihi tribuat: Fidem, Spem, & Charitatem mihi præstet: articulos fidei firmiter credere, & præcepta legis obseruare me faciat: sensus corporis mei regat & prote-

te-

AD B. V. MARIAM. 125

tegat, & à peccatis mortalibus
me semper liberet & defendat
vsque in finem meum.

Hanc orationem supplici-
ter exaudiat, & suscipiat, & vi-
tam æternã mihi tribuat. Au-
di & intercede pro me dulcif-
sima Virgo Maria Mater Dei
& misericordiæ, Amen.

Hymnus ad Beatam Virginem
M A R I A M.

AVE Virgo singularis,
Mater nostri SALVTARIS
Cœli Sydus STELLA MARIS,
Stella non erratica.

Nos in huius vitæ Mari
Non permittite naufragari;
Sed affectum tui Chari
Supplex in nos explica.

H 5 10-

Sæuit mare, furunt venti,
Fluctus surgunt turbulenti;
Navis currit, sed currenti
Quot occurrunt noxia!

Hic Syrenes voluptatis,
Draco, Canes, cum Pyratis
Mortem penè desperatis

Hæc intentant omnia
Post abyssos nunc ad Cœlum,
Fluens vnda fert phaselum,
Nutat malus, fluit velum.

Nautæ iacet opera.
Contabescit in his malis
Homo noster animalis.
Sed Tu MATER specialis
In occursum propera.
Tu perfusa Cœli rore,
Castitatis saluo flore,
Nouum Fructum nouo more
Protulisti sæculo.

Ver-

Verbum Patri coæquale,
Corpus intrans Virginale,
Corpus sumit hinc mortale
Spiritus umbraculo.

Te præuidit & elegit,
Qui potenter cuncta regit,
Nec pudoris claustra fregit,
Sacra replens viscera.

Nec pressuram, nec dolorem,
Contra primæ Matris morem,
Pariendo Saluatorem,
Sustines puerpera.

O MARIA pro tuorum
Dignitate meritorum,
Supra Choros Angelorum
Sublimaris vnice.

Sede fulgens iam superna,
Sorte gaude sempiternâ,
Pietate sed materna
Nos in imò respice.

Ra-

Radix sancta, radix viua,

Flos & Vitis, & Oliua,

Nulla quam vis insitiua

Iuuat, vt fructificet.

Lampas Soli, splendor Poli,

Quæ splendore præis Soli.

Nos commendatuae Proli,

Ne districtè iudicet.

In conspectu Summi Regis

Sis pusilli memor gregis,

Qui transgressor datae legis

Præsunit de venia.

Iudex mitis & benignus,

Iudex iugi laude dignus,

Reis spei dedit pignus

Crucis factus hostia.

IE SV sacri Ventris Fructus,

Nobis sis per mundi fluctus

Via, Lux, Dux, & Conductus

Saluus ad Cœlestia.

Tene

AD B. V. MARIAM. 125

Tene clauum, rege nauem,
Tempestatem feda grauem,
Portum tandem da suauem

Tuâ pro clementiâ, Amen.

Oratio S. BERNARDI ad Dei-
param Virginem MARIAM.

O Dulcissima Virgo MA-
RIA per te accessum ha-
beamus ad Filium, & per te
nos suscipiat, qui per te datus
est nobis. Excuset apud ipsum
integritas tua culpam nostræ
corruptionis, & humilitas tua
Deo tam grata, nostrę veniam
impetret vanitati ac superbie.

Copiosa Charitas tua, no-
strorum cooperiat multitudi-
nem peccatorum: Et fœcun-
ditas tua gloriosa, fœcundita-
tem nobis conferat merito-
rum. **O Do-**

O Domina nostra, Media-
trix nostra, Aduocata nostra,
tuo Filio nos commenda, tuo
Filio nos reconcilia, tuo Filio
nos repræsenta. Fac, ô bene-
dicta, per gratiam quam me-
ruisti, per misericordiam, quã
peperisti, vt qui te mediante
dignatus est fieri particeps in-
firmitatis & miserix nostræ, te
quoque intercedente, parti-
ceps nos faciat beatitudinis &
gloriæ suæ, I E S V S Christus Fi-
lius tuus Dominus noster, qui
est super omnia bene-
dictus in secula,
Amen.

Alia

AD B. V. MARIAM. 127

Alia ad Beatam Virginem

M A R I A M.

O Domina mea sancta MA-
RIA, me in tuam bene-
dictam fidem, & singularem
custodiam, & sinum miseri-
cordiæ tuæ; hodie & quotidie,
& in hora exitus mei, animam
meam, & corpus meum tibi
commendo; omnem spem &
consolationem meam, omnes
angustias & misérias meas, vi-
tam ac finem vitæ meæ tibi
committo, vt per tuam san-
ctissimam intercessionem, &
per tua merita omnia mea di-
rigantur & disponantur ope-
ra secundum tuam tuique Fi-
lij voluntatem, & meam
necessitatem, Amen.

SUB

SVB tuum præsidium confu-
gimus sancta Dei Genitrix;
nostras deprecationes ne de-
spicias in necessitatibus, sed à
periculis cunctis libera nos
semper Virgo gloriosa & be-
nedicta.

*V. Post partum Virgo inuiolata
permansisti.*

*R. Dei Genitrix intercede pro
nobis.*

Protege Domine famulos
tuos subsidijs pacis, & B. MA-
RIÆ semper Virginis Patro-
cinijs confidentes, à cunctis
hostibus & periculis nos red-
de securos. Per Christum
Dominum nostrum,
Amen.

IN-

INVOCATIO
ET ELOGIA

SANCTORVM,

Rythmis breuiter compre-
hensa.

Pater de Caelis DEVS, miser. nob.

SVm̄e PATER, sancte DEVS,
Sator mundi, factor meus,
Clemens, & propitius,
Salua, precor, creaturam,
Pro quâ sumpfit hanc naturã,
Te iubente FILIVS.

Fili Redemptor mundi Deus, mis. n.

IESV nostram qui sumpfisti
Carnem, Crucemq; subisti,
Amans nos fortissime,
Quidquid carnis per reatum,
Cor contraxit deformatum,
Sacro lava sanguine.

I

Spi-

Spiritus sancte Deus, miserere nob.

Aue SPIRITVS benigne
Charitatis vrens igne,

Renes & præcordia,

Mentes, precor, nostras munda;

Reple donis, & fœcunda,

Gratiarum copia.

S. Trinitas vnus Deus, miserere nob.

DEVS Trinus in Personis,

Indiuiduus in donis,

Vnus in substantia,

Nostram fac infirmitatem,

Per Spem, Fidem, Charitatem

Tua firmet gratia.

S. Maria, ora pro nobis.

O MARIA fulges Polo,

Sed post Deum præes Solo,

Nec non Salo Domina.

En nos Tibi mancipamus

Seruos; tu fac, quod rogamus,

Fortes ad certamina.

S. Dei Genitrix, ora pro nobis.

Alma Dei Creatoris,
Sed & rei peccatoris

Mater clementissima,
O sis reis Aduocata:

Hinc es Mater, & hinc nata

PROLES ex te Maxima.

S. Virgo Virginum, ora pro nobis.

Virgo potens & præclara;

Super omnes Virgo rara,

Partu Virgo clarior,

Corde sinus fac purgato,

Quò sit Tibi, quin & NATO

Cultus noster carior.

S. Michael, ora pro nobis.

MICHAEL Dux Angelorum,

Qui Draconem mox cœlorū

Derurbasti sedibus,

Ne superbi deprimamur,

Fac demissos, vt iungamur

Per te cœli Ciuibus.

S. Gabriel, ora pro nobis.

GABRIEL qui nunciasti,
Cum Mariam salutasti,
Grandia mysteria.

Fac ut toto redamemus
Corde Deum, & laudemus,
Tantâ pro clementiâ.

S. Raphael, ora pro nobis.

O RAPHAEL, qui Tobiaë
Eras dux comesque viæ;
Per te pulla cæcitas.

En & ego cæcus natus,
Sed ad Christi duc me latus,
Ibi nostra sanitas.

S. Angele Custos, ora pro nobis.

AUC CUSTOS gloriose,
Serue DEI generose,
Creatura nobilis,

Mei precor curam gere
Adsta fortis, & tuere
Hostis ab insidijs.

SS.

SS. Seraphin, orate pro nobis.

Sancti SERAPHIM ardentes,
Ex amore nostras mentes

Inflammate fortiter,
Ut vobiscum decantemus
Sanctus, Sanctus, & laudemus
Deum nunc & iugiter.

SS. Cherubin, orate pro nobis.

Sancti CHERUBIM orate
Ut ex Dei pietate

Nobis sit remissio.

Ex thesauro Passionis,
Christus nos exornet bonis,
Et cœlesti præmio.

SS. Throni, orate pro nobis.

Commendate nos ô THRONI
Christi plagis, Passionis,
Sanguinis remedio.

Ut per ista renouati,
Throno DEI præsentati
Iugi stemus gaudio. I 3

S.

SS. Dominationes, orate pro nobis.

O VOS DOMINATIONES,
Vestræ dent Orationes
Frui nos Dominio.

Cedat Sathan, Caro, Mundus
His, queis Christus Dux, Spes,
Pars, Sors & Possessio. (Pōd⁹

SS. Virtutes, orate pro nobis.

O VIRTUTES Vos Cælorū,
Precor vos, ô Duces morum
Et virtutum Præsides;

Nostra per vos adiuuetur,
Nam se solâ quid meretur
Indiga pauperies?

SS. Potestates, orate pro nobis

POTESTATES opem ferte,
En quot hostes nos apertè,
Quot occultè vulnerant?

Christi alapæ, flagella,
Crux, Mors. Sanguis, sæua bel-
Inimici conterant. (la

SS. Principatus, orate pro nobis.

Precor Vos ô PRINCIPATVS,
 Ut qui Princeps nobis natus,
 Datus & in pretium,
 Solus in nos dominetur,
 (Mundi Princeps exturbetur)

Cordis seruans atrium.

SS. Archangeli, orate pro nobis.

ARCHANGELI summo DEO
 Vos adstantes, mihi reo
 Ferte patrocinium.

Per vos vota Christo damus,
 O si per vos referamus
 Cœlitus auxilium.

SS. Angeli, orate pro nobis.

Aue Cœtus ANGELORVM,
 Regem laudans Beatorum
 IESVM in lætitia.

Nos ab hoste propugnate,
 Dona nobis postulate,

Queis crescamus gratiâ.

SS. Patriarchæ & Propheta, or. p. n.

PATRIARCHÆ, & PROPHE-
Zelum nobis obtinete (TÆ,

Vestra per præsidia.

Vt vobiscum re gustemus,

Quod felices spe tenemus,

Donum plenum gratia.

SS. Tres Reges, orate pro nobis.

Sancti R E G E S, qui iam nato

REGI Regum corde grato

Tria fertis munera.

Mentem THVS det eleuatam;

MYRRHA carnem castigatã,

AVRVM formet opera.

S. Ioannes Baptista, ora pro nobis.

O PRÆCURSOR Christi, magn⁹

Pastor à te dictus AGNVS

Mundi tollit crimina,

Hoc Pastore fac regamur,

Donec hic peregrinamur

Exules à Patria.

S. Ioseph, ora pro nobis.

AUE IOSEPH Sponse digne
Matris Virginis benignæ
Custosque castissime.

LUNÆ splendor atque SOLIS,
AMOR SPONSÆ NOS & PROLIS,
Fac accendat intimè.

Sancte Petre, ora pro nobis.

PETRE Clauiger Cœlorum,
Et Patrone peccatorum
Christi potens gratiâ.

Fac nos verè pœnitentes,
Ut quod nostras sedat mentes,
Lauet Pœnitentia.

S. Paule, ora pro nobis.

PAVLE, Vas Electionis,
Quem repleuit miris donis
Ingens DEI pietas.

Ora Christi per Amorem,
Ne nos mortis in errorem
Mundi trahat Vanitas.

S. Andrea, ora pro nobis.

Fac ANDREA qui subisti,
Vt fidelis seruus Christi
Crucem cupidissime.

Nobis absit gloriari,
Nisi Cruce Salutari,
In qua salus Animæ.

S. Ioannes, ora pro nobis.

O IOANNES Christi charè,
Cui Mater sine pare
Datur in custodiam.

Precor mortis in agone
Te cum Matre mecum pone
Contra Mortis furiam.

S. Iacobe, ora pro nobis.

O IACOBE qui bibisti
Velut confors Regni Christi
Passionis calicem.

Fac vt expers mentis vanæ,
Toto corde Christianæ
Sequar vitæ tramitē. Om-

Omnes SS. Apostoli, orate p nob.

Cœtus vos APOSTOLORVM,
Terræ Duces, & Cœlorum
Clara Luminaria.

CHRISTVM, precor, exorate,
Vt nos pari charitate,
Trahat ad Cœlestia.

S. Stephane, ora pro nobis.

Euge STEPHANE beate,
Martyr Christo consecrate,
Primus rubens sanguine.

Fac amore nos feruentes,
In aduersis non frementes,
Promptos hosti parcere.

S. Laurenti, ora pro nobis.

Fortis pugil, ô LAVRENTI
Nil te mouit vis tormenti
In flammarum medio.

Quæ te fecit tam inuictum,
Et nos mortis ad conflictum
Christi firmet passio.

S. Vincenti, ora pro nobis.

O VINCENTI qui vicisti,

Et inuictus iam cepisti

Præmia Vincentium.

Des inuictum robur menti,

Soli Christus nam Vincenti

Manna dat absconditum.

Omnes SS. Martyres, orate p nobis.

O cruore purpurata,

Et iam Christo sociata

Salve cohors MARTYRŪ.

O quam Regno vim Cælorū

Intulistis, nec malorum

Vis effregit animum!

Nec nunc desunt persequētes,

Quin in nostras sæuit mentes

Mundus, Caro, Sathanas.

Nec tam dira sunt tormenta,

Quam nociua blandimenta.

O nos seruet CHARITAS.

S. An-

S. Augustine, ora pro nobis.

Sancte Pater AVGVSTINE

Bonitatis qui diuinæ

Clarus es indicatijs.

Fac nos soluat peccatorum

Vinclis Deus, & malorum

Liberet supplicijs.

S. Benedicte, ora pro nobis.

Salve Pater BENEDICTE,

Legislator, Dux inuicte,

Potens Patrocinio.

Nobis Vitæ Dux & Mortis

Sis, vt bonæ tecum fortis

Perfruamur gaudio.

S. Bernarde, ora pro nobis.

O BERNARDE sine felle

Tibi mens, sed omni melle

Dulcius eloquium,

Nostra quoq; mens mitescat,

IESVS illi fac dulcescat,

Omne super gaudium.

Omnes SS. Confessores, orate p̄ no.

Euge Turba CONFESSORVM

Fide viuâ, zelo morum

Potens Christi munere,

Vestra prece dum fouemur

Christi fidem profitemur,

Ore, Corde, & Opere.

S. Catharina, ora pro nobis.

Aue Virgo CATHARINA,

Doctos vincens, & diuinâ

Præualens Scientiâ.

Contra Sophos infrunitos

Piâ fac nos eruditos

Stare Sapientiâ.

S. Anna, ora pro nobis.

ANNA salue labe carens,

Sancta Dei Matris Parens,

Altis fulgens meritis.

Mater præsto sis cum Nata,

Sed & Proles nos beata

Vitæ donet præmijs.

S. Maria Magdalena, ora p nob,
 Ave dulcis MAGDALENA,
 Charitate Dei plena,
 Peccatorum gloria,
 Toto fac pœniteamus
 Corde, tecum diligamus
 IESVM super omnia.

SS. Virgines, orate pro nobis.
 VIRGINVM saluete Chori,
 Quibus datum mundo mori,
 Carnisq̄ue delitijs.
 Vester castas nobis mentes,
 Sponsus amans continentes,
 Vestris donet meritis.

SS. Patroni, orate pro nobis.
 Ave Sancte Patronorum,
 Angelorum, & Sanctorum
 Cœtus omnis splendidus,
 Vestra semper nos tutela
 Christi seruet in sequela,
 Succendatq̄; Cœlitus.

144 INVOC. SANCTORVM.

Omnes Sancti, orate pro nobis.

Omnes SANCTI triumphantes,
Et in Cœlis iubilantes
Perenni lætitia.

Nostra DEO præsentate
Vota, simul nos seruate
Stabiles in gratia.

Omnes SANCTI, qui regnatis
Christo iuncti, quem laudatis,
Cunctis procul hostibus.

Per vos nostra mancipetur,
Ut vobiscum coronetur,
Vita DEI laudibus.

O quos nunc Viator orat,
Quantum DEVS vos honorat!
Quanta donat Gloriâ!

Honor illi, lausq; pura,
Sit ab omni Creatura,
Qui DAT VNVS OMNIA.

*Oratio ad B. V. MARIAM,
& simul ad B. Ioannem Eu-
angelistam.*

O Intemerata, & in æternum
benedicta, singularis atq;
incomparabilis Virgo Dei ge-
nitrix MARIA, gratissimum
Dei templum, Spiritus sancti
Sacrarium, Ianua Regni Cœ-
lorum, per quã post Deum to-
tus viuít orbis terrarum. Incli-
na Mater misericordiæ, aures
tuæ bonitatis indignis suppli-
cationibus meis, & esto mihi
miserrimo peccatori pia &
propitia, in omnibus auxi-
liatrix.

O Ioannes beatissime Chri-
sti familiaris & amice, qui ab
eodem Domino nostro IESU

K Chri-

Christo Virgo es electus, & inter cæteros magis dilectus, atque in mysterijs cœlestibus ultra omnes imbutus; Apostolus enim & Euangelista factus es præclarissimus: te etiam inuoco cum Maria Matre eiusdem Domini nostri Iesu Christi Salvatoris, vt mihi opem tuam cum ipsa conferre digneris.

O duæ gemmæ Cœlestes, Maria, & Ioannes! O duo luminaria diuinitus ante Deum lucentia, vestris radijs scelerum meorum effugate nubila. Vos enim estis illi duo, in quibus vnigenitus Dei Filius, ob sincerissimæ Virginitatis meritum, dilectionis suæ cōfirmavit Priuile-

uilegium in cruce pendens: vni vestrum ita dicens; Mulier, Ecce filius tuus: deinde ad alium; Ecce Mater tua.

In huius ergo tam sacratissimi amoris dulcedine, qua tunc ore Dominico velut mater & filius adinuicem cōiuncti estis, vobis duobus ego miserimus peccator commendo hodie corpus & animam meā: vt in omnibus horis atq; momentis, interius & exterius firmi custodes, & pijs apud Deum intercessores mihi existere dignemini. Poscite mihi, quæso, corporis & animæ salutem.

Agite quæso, agite vestris gloriosis precibus, vt cor meū inuisere & inhabitare digne-

tur Spiritus almus, gratiarum
 Largitor optimus, qui me à
 cunctis vitiorum sordibus ex-
 purget; Virtutibus sacris illu-
 stret, & exornet, in dilectione
 Dei & proximi mei perfecte
 stare & perseuerare me faciat,
 & post huius vitæ cursum ad
 gaudia ducat Electorum suo-
 rum benignissimus Paraclitus.
 Qui cum Deo patre, & Filio
 viuit & regnat in sæcula sæcu-
 lorum, Amen.

Elogium S. Ioannis Baptista.

PRæcursorem Summi Regis
 Et Præconem nouæ legis,
 Celebret Ecclesia.

Huius ortu iucundemur;
 Sed non minus delectemur
 Mortis in memoria.

Pa.

Pater senex nouum natum

Obstupescit : dum legatum

Audit missum cœlitus.

Nam ætatem & naturam

Consulendo ; genituram

Miratur decrepitus.

Dum non paret verbo Parens,

Mox in verbo fit apparens

Pro verbis punitio.

Pater hærens hoc infirmat,

Quod attestans mox cōfirmat

Linguae destitutio.

Præcutfore nondum nato,

Nondum partu reserato

Dona patent mystica.

Nostro Sole tunc exclusus

Verioris est perfusus,

SOLIS luce typica.

Prius nouit diem verum,

Quam nostrorum sit dierum

Vsus beneficio.

K 3

Hic renascens nondum natus,
Nondum nascens est renatus

Cœlesti mysterio.

Aluo Deum Virgo claudit,
Cluso clausus Hic applaudit

De ventris angustia.

Linguae gestus obsequuntur,
Dū pro lingua sic loquuntur

Infantum prodigia.

Mater parit, Pater credit,
Redeunte fide, redit

Linguae beneficium.

Referato partu Matris,

Referatur lingua Patris

Celebrans mysterium.

Thori fructus Matri dantur,

Et iam Matris excusantur

Sterilis opprobria.

Ortus tanti Præcursoris

Multos terrēt, sed terroris

Comes est lætitia.

Se

AD B. IOAN. BAPT. 151

Se de mundo seruans mundū,
Mundè viuit intra mundum

In ætate tenera.

Ne fœdaret se conuictu
Mundi; loco, veste, victu,

O quam præfert aspera!
Quem dū replet lux superna,
Veræ lucis fit lucerna,

Veri Solis Lucifer.

Nouus Præco nouæ legis,
Immò Nouus noui Regis
Pugnaturi Signifer.

Singulari Prophetia
Prophetarum Monarchia
Sublimatur omnium.

Hi futurum, Hic præsentem,
Hi, venturum, Hic viuentem
Monstrat orbis Dominū.

Agnum monstrat in aperto,
Vox clamantis in deserto,
VERBI VOX prænunciã.

Ardens fide, verbo lucens,
Et ad veram Lucem ducens
Multa docet millia.

Non lux iste, sed lucerna,
Christus erat Lux æterna

Lux illustrans omnia.

Dum baptizat Christum foris,
Hic à Christo melioris

Aquæ tactu tingitur.

Duos duplex lauat flumen,
Isti nomen, illi Numen

Baptistæ conceditur.

Dum baptizat, baptizatur,
Dumq; lauat hic, lauatur

Vi mundantis omnia.

Aquæ lauant, & leuantur,
Queis lauandi vires dantur

Baptizati gratiâ.

Attestante palam Christo,
Non surrexit maior isto,

Natus de muliere. Se-

Sese Christus sic excepit,
Qui de carne carnem cepit,
Sine carnis opere.
Non arundo leuitatis,
Sed columna Veritatis
Nulla palpat crimina.
Scribas tangit & Doctores,
Vocans legis transgressores,
Viperæ genimina.
Arguebat hic Herodem,
Nec terretur ab eodem
Ligatus in carcere.
Fert iniustè iustus pœnam,
Rem detestans tam obscenam
Regis & adulteræ.
Inde sæuit vis tyranni
Sed hinc creuit laus Ioanni,
Tyranno supplicium.
Stultus seruit Sapienti,
Quia iustus in præsentī
Probatur per impium.

154 HYM. AD S. IO. BAPT.

In Natalis sui cœna,
Capitali plecti pœnâ
Ioannem Rex imperat.

Spiculator Saltatrici,
Dat Saltatrix Genitrici
Caput, quod petierat.

Cruce designat sublimari
Christum, sed hunc minorari
Capitis abscisio.

Mors est Iusti pretiosa,
Quam præcessit gloriosa
Vitæ conuersatio.

Nos ad laudem tui, Christe,
Præcursoris & Baptistæ
Dicimus encomia.

Tu nos ab hac mortis valle,
Duc ad vitam recto calle,
Per eius vestigia, Amen.

EXER-

**EXERCITIUM
MATUTINUM.**

Vt rectè diem transigas, plurimum interest benè cepisse. Euigilans itaque mox diei auspicio DEI memoriam iunge, & caue ne actionũ & cogitationum primitias quisquã habeat præter DEVM. Malè & infeliciter tibi nullus ibit dies, quem Deo auspice ceperis. A Fonte omnis boni, quid nisi bonum? Itaque

1. Sis gratus, 2. Cor offer, 3. Opus dispone futurum.
4. Vita peccatum, Subsidiũq; pete.

I. Gratiarum Actio.

O Æterne DEVS, ex intimo corde meo laudo te, & gratias ago tibi, quia me **Creasti** ad imaginem & similitudi-

tudinem tuam, & pretio Sanguinis Unigeniti FILII tui Redemisti me, & præter infinita alia beneficia tua mihi indigno peccatori præstita, hucusq; me tam paternè & clementer Conservasti, & ad diei præsentis initium, incolumem perduxisti. Quid retribuam tibi Domine, pro his omnibus, quæ retribuiti mihi?

O. II. Oblatio sui ipsius.

ECce Domine, totum libens & vltro Tibi reddo, à quo profluxit omne, quod habeo. Corpus, inquam, & Animam, vtriusq; vires & actiones; Omnia huius diei cogitata, verba, & opera AD MAIOREM NOMINIS TVI GLORIAM,
pu-

purè & plenè refero, vt in his omnibus laudetur & glorificetur. Nomen tuum benedictũ in sæcula: idq; in vnione omnium Actionum & meritorũ Filij tui, Saluatoris mei I E S V Christi, in quo tibi benè complacuit, vt ex abundantia omnis charitatis & meritorũ eius mea infirmitas & inopia suppleatur: adeoq; quidquid hodie egero, tanto magis placeat Diuinæ Maiestati tuæ, & mihi proximisq; ad salutẽ proficiat.

III. Dispositio Actionum.

ECce paratũ cor meũ, DEVS. sed, quid me vis facere, vt placeam Tibi? Scio, Domine, accuratam rationem transacti temporis aliquando reddendã tibi;

tibi; ideoq; meritò vereor omnia opera mea, sciens, quod nō parcas delinquenti. Itaq; hoc die sollicitè conabor ambulare corā te; Et cum in hoc statu, N. officio N. Dignitate, &c. per gratiam tuam constitutus sim, studijs & operibus vocationi meæ congruis, his N. & N. præsertim, sedulò ac diligenter incumbam, omnia honestè & secundū ordinē, faciam, velut hodie moriturus, & tibi de his omnibus rationē redditurus.

Quia verò iubeor potissimum quærere Regnum Dei, & iustitiam eius, non sic me tradam negotijs & occupationibus, vt tempus desit negotiorum omnium maximo, id est,
est,

est, curæ Salutis & Æternitatis, Exercitijs pijs, &c. Quin potius præ omnibus & in omnibus Te quæret anima mea, ô Deus meus summū Bonum meum. Vanum enim est, quidquid ad eternitatē nō prodest.

IV. Fuga Peccati.

VTinam ô Domine dirigatur hodie viæ meæ ad custodiendas iustificationes tuas.

Dixi custodiam vias meas, ut nō delinquā in lingua mea, Auertam oculos meos, ne videant vanitatē. Sepiam aures meas spinis. & hoc Vitium N. cui me magis obnoxium sentio, singulari studio fugiā, & omni custodia seruabo cor meū, &c.

Expertus, heu, didici. hac
N. &

N. & illa N. occasione sæpius me turpiter in malum corruisse; & quis fructus cõmissi criminis? nisi grauis iniuria & offensâ tui, ô Deus, & natus hinc amarus conscientiaë meæ reatus & angor? An ergò simili me periculo rursus exponam hodie? Non faciam, conscius infirmitatis meæ, quin potius quasi à facie colubri fugiam peccatum; & adhærebo Tibi, cui vni placere & adhærere bonum est.

V. Petitio Gratiæ Diuine.

Verum ô Domine, quid prodest hæc Velle; nisi tu des Possè & perficere? frustra proponit homo, nisi successum Gratia tua disponat. Tu
 nosti

rofti imbecillitatem meam,
 quia inops & pauper fum ego,
 & fine te nihil boni facere pof-
 fum, imò ne cogitare quidem,
 fed ex te vno est omnis fuffi-
 cientia mea. Exurge itaque ô
 Domine in adiutorium mihi,
 & efficaci Gratia tua vires fug-
 gere, vt propofitum voluntatis
 meæ efficaciter implere valeã.

TV quoque, ô Sanctiffima
 DEI MATER, Virgo &
 Patrona mea fingularis, curam
 Clientis tui fufcipe, & mon-
 ftra Te effe Matrem. Tuque
 ô Angele Custos, qui iuffu Di-
 uinæ Bonitatis curam mei ge-
 ris. Et vos ô SS. Patroni mei
 mihi præcipue dilecti, hodie
 Clienti veftro fideliter affifti-

L te,

te, & in viam salutis dirigite.
 Vos nūc toto corde in auxiliū
 inuoco, Vestris, quæso, preci-
 bus & meritis apud Altissimū
 agite, vt eius gratiæ ductu sic
 viuam hodie, vt vobiscum vi-
 uam, gaudeam, Deumq; lau-
 dem in Æternitate.

EXERCITIUM
 DIURNVM,

Seu cōmendatio sui ad DEVM
 & Sanctos Patronos.

Oblatio sui ad DEVM.

O Dulcissime Domine IESV
 Christe; in vnione chari-
 tatis qua te æterno Patri tuo
 commendasti & obtulisti, pro
 Salute nostra in cruce mo-
 riens: & ad exemplum Trium
 Ma-

Magorum, Tibi recens nato-
 tria mystica munera ardentē
 cordis affectu offerentium, &
 in virtute Charitatis, quā vn-
 quam placuerunt, & serui-
 runt tibi omnes Sancti & Ele-
 cti tui, ego indignus peccator
 offero tibi Deo Creatori meo
 tria munuscula exigua quidē,
 attamen Vni Tibi summo iure
 debita; Offero, inquam, Intel-
 lectum, Voluntatem & Me-
 moriam meam; offero Cor-
 pus, Animam, & Statum vitæ,
 ad quem me vocare dignatus
 es. Offero omnes Cogitatio-
 nes, Locutiones, & Actiones
 meas, AD MAIOREM NO-
 MINIS TVI GLORIAM, ad
 meam salutem, & proximorū
 ædificationē, L 2 Ro-

Rogo te clementissime IESU, ex intimo corde, per viscera æternæ bonitatis tuæ, & per virtutem charitatis, qua clamans ad Patrem tuum, exauditus es pro reuerentia tua. & per dulcedinem amoris quoties Magos, & eorum munera tam beneuolè & clementer accepisti. Rogo te per omnem misericordiam, & bonitatem, quam ab initio mundi in hanc vsque horam erga miseros & peccatores ostendisti, vt & me respicias oculis misericordiæ tuæ; & gratam habeas istam licet indignam oblationem meam; & sic deinceps me regas efficaci gratia tua, vt ad tuam GLORIAM, meam & Pro-

Proximorum salutem, omnia
quæ in me, aut circa me sunt,
dirigantur & disponantur. Ti-
bi enim placere, tibi adhærere
desiderat anima mea, nunc &
in æternum.

Oblatio sui ad B. Virginem.

O Sancta MARIA, Mater
DEI, & Virgo, ego etsi
indignus, qui seruiam tibi, at-
tamen fretus materni cordis
tui clementia, eligo te hodie
coram Angelo meo custode,
& tota cœlesti curiâ, in meam
peculiarem Dominam, Patro-
nam, & Aduocatam. Firmi-
terq; propono, me tibi deinceps
& Filio tuo seruiturû fide-
liter, & adhæsurrû perenniter.

Obsecro te Mater sacratis-

L 3

suma

fima, per amorem quo Filius tuus iam moriturus in cruce te dilecto Discipulo suo commendauit, vt me suscipias in curam & tutelam tuam, & adsis mihi in omnibus periculis & angustijs totius vitæ meæ; nec me deseras in hora mortis meæ, Amen.

Commendatio ad SS. Patronos.

O Sancti Patroni mei, mihi singulariter electi & dilecti: Commendo me vobis ex toto corde per amorem Domini nostri IESU Christi, & rogo vos per singularem illam & ineffabilem Dei omnipotentis bonitatē & misericordiam; qua vos ab æterno sibi elegit amicos, & gloriæ ac regni

gni sui prædestinauit hæredes.

Obsecro vos quoq; per copiosam illam & efficacem Dei gratiam; qua vos in via, velut vasa misericordiæ præmuniit & præparauit ad gloriam. Vos enim etsi in hac valle miseriæ, & fragili carne constituti, atramen induti virtute de Cælo aduersus omnes hostes vestros stertistis immobiles: nec vllis Mundi insidijs, aut Carnis illecebris, aut Dæmonis artibus à charitate Christi Iesu potuistis separari; sed illi in finem & mortem vsque constanter adhæsistis, ideoque velut inuicti pugiles, nunc cum Christo duce vestro regnatis & triumphatis in Gloria.

L 4

Con-

Congraudeo, & congratulor ex animo gloriæ & felicitati vestræ, Deumq; laudo, qui vos ita dilexit, & euexit, ô sancti Patroni mei: sed interim suspirat & anhelat ad Vos gemens ac tremens anima mea, inter tot hostes, & salutis discrimina; rogans vos per diuinæ misericordiæ viscera, & suprema illa, quibus nunc in cœlis fruimini, gaudia; vt mei clientis vestri memores apud Altissimum tanquam Patroni fideles, obtineatis mihi gratiam Dei validam & efficacẽ, qua & ego sequar vestigia vestra, & fortiter hostibus meis, Mundo, Carni ac Dæmoni resistam; nec vllis vnquam ipso-
rum

rum insidijs viribusq; succumbam; sed Christo Saluatori meo in mortem vsque exemplo vestro constanter adhæream, & sic vitam hanc mortalem institutam, vt nunc vobis in gratia, & tunc coniungar in gloria, & Deum vna vobiscū laudem per omnia sæcula, Amen.

Commendatio & Oblatio ad Sanctos Tres Magos & Reges.

O Sancti Magi, Reges inclyti, Gentium primitiæ, Patroni magnifici. Rogo vos per amorem Domini nostri IESU Christi, quo vos Reges ita dilexit, & allexit Rex Regum, vt desertis sedibus vestris & spre- tis longinquæ viæ periculis &

L 5 in-

incommodis veniretis ad visitandum, & adorandum cœli terræq; Regem in Bethlehem natum. Rogo vos per virtutē gratiæ supernæ, qua vos misericorditer præuenti recens natum mundo Salvatorem, tam ardēter & studiosè quæsiuistis; & inuentum tam religiosè & reuerenter adorastis; & elusis Herodis impij Regis insidijs feliciter in regionem vestram redijstis.

Rogo vos per eximias illas virtutes, Fidem, Religionem, & Charitatem vestram, quæ tunc in vobis, non stella tantum oculos, sed magis ipso Iustitiæ Solè recens orto, mentes vestras illuminante, mirabili-
ter

ter effulserunt. Vos enim, quã-
uis paruulũ infantem, sine vlllo
apparatu regio, in humili tu-
gurio, in vili præsepio, inter
iumenta iacentem & vagien-
tem videretis, attamen vt Do-
minũ supremæ Maiestatis for-
ti & indubia fide agnouistis, &
vt Regem Cœli & terræ my-
sticis vestris muneribus ma-
gnificè honorastis, & vt Deum
ac Creatorem vestrum intima
deuotione, in terram proci-
dentes, humiliter adorastis.

Rogo, inquam, vos per has
virtutes vestras, & per amorẽ
& humanitatem, quã vos, &
munera vestra suscepit Salua-
tor, dũ paruulus natus est no-
bis; vt & me suscipiatis in tu-
te-

telam vestrā, & obtineatis ab ipso mihi Tria munera pretiosa, & mihi nimis vtilia; Fidem viuam, Spem firmam, Charitatem feruidam.

Obtinete mihi quoq; Tres Virtutes summè necessarias, virtutem puræ Castitatis, sinceræ Humilitatis, & veræ Pietatis; vt his velut donis, à Christo liberaliter ego præuentus, vicissim tantò promptius, & gratius offeram illi quantulacunque bona & dona mea; id est, Thus deuotæ Orationis; Myrrham Mortificationis; & Aurum Charitatis, seu bonæ operationis. Ad maiorem eius gloriam, qui est Rex sæculorum immortalis, Amen.

EXER-

EXERCITIUM
VESPERTINVM.

Memento, homo, iturus cubitum,
plurimos inchoasse noctem, sed eius
mane non vidisse. Lectus sanè & Se-
pulcrum pari quodammodo sche-
mate, mortis nobis memoriam inge-
runt: in vtrumque nudi reponimur.
Ipse somnus quid est, nisi mortis i-
mago? Optimum ergò est à DEO
diem incipere; cum Deo finire; nec
prius se nocti credere, quam trans-
actæ diei rationes sint positæ. Nimi-
um temerarius est, qui offenso, &
nondum placato Numine audet, vel-
ut securus, obdormire. Sic somnum
semper inchoa, ac si quis auri insu-
surret. Hac nocte repetent à te
animam tuam, &c.

Por-

Porro Exercitij Vespertini hæc
Puncta erunt :

1. Solue Deo grates, 2. Pete lu-
men, 3. Discute mentē.
4. Delicti veniã posce, 5. Re-
cide malum.

I. *Gratiarum Actio.*

O Sanctissima Trinitas, &
infinita Bonitas, Gratias
ago tibi ex toto corde meo,
pro omnibus beneficijs tuis,
quæ mihi in omni vita mea, &
hodie præsertim, vel in corpo-
re vel in anima tam benignè
contulisti : Conserua, precor
in me dona Gratiaæ tuæ, auge
& confirma hoc DEVS, quod
operatus es in me, vt per bene-
ficia tua perficiatur in me Cha-
ritas tua, & illustretur Gloria
tua.

II. Pe-

II. *Petitio Luminis.*

IN multis ô Domine, offendimus omnes; sed delicta quis intelligit? Cæci hic ferè sumus, & velut in tenebris ambulamus: tu lux vera, quæ illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum, tu qui nosti omnia abscondita cordis, & omnes gressus meos considerasti, illumina tenebras meas, vt cognoscam, vbi hodie declinauerim à mandatis tuis, & errores cognitos intimo cordis dolore defleam & sincere corrigam.

III. *Discussio sui.*

Hic diem percurrere à manè vsque in vesperam, Loca, vbi fueris, consortia, quibus-
cum

cum egeris, colloquia, & negotia quæ tractaueris, memoria repete, in singulis intentionem, conatum, & circumstantias alias expende: quid in Deum, quid in proximum, & in teipsum peccaueris cogita. nec tantum, quid mali commiseris, sed & quid boni omiseris, quod fecisse debueras. quomodo te in huius N. vel illius N. Virtutis, vel etiam, in pugna aduersus vitia tibi magis infesta gesseris. hoc modo facile cognosces peccata tua. Angit & arguit peccati reum conscientia sua, etiam non rogata; quid per Examen lacestrata faciet?

IV. *Petitio Venia.*

O Pater misericordiarum,
 Peccaui in Cœlum & cor-
 ram te: doleo ex intimo cor-
 de, ob amorem tui, quod of-
 fenderim te Summum Bonum
 meum. Sed tu queso propitius
 esto peccatis meis. Ego omnes
 offensas huius diei & totius vi-
 tæ meæ depono in abyssum
 misericordiæ tuæ, & per mor-
 tem & amorem Filij tui pre-
 cor te, laua me eius sanguine
 ab iniquitatibus meis.

V. *Propositum Emendationis.*

I Vro itaq; ô Domine, & sta-
 tuo custodire Iudicia Iusti-
 tiæ tuæ. Quomodo enim au-
 debo deinceps contemnere te
 summum DEVM Creatorẽ, &

M

Sal-

Saluatorem meum, & pro tantis bonis, non nisi mala reponam? Quin potius volo totus seruire & obedire tibi, sed sine te non valeo. Tu ergò, qui dedisti velle, da & perficere, & contra carnis infirmitatē Spiritu principali confirma me. Amore & Timore Tui velut duobus pedibus duc me continuo in via mandatorum tuorum, quia ipsam volui; nam contritio & infelicitas in vijs peccatorum, qui viam pacis non cognoscunt. Tu es pars mea, & Pax cordis mei Deus in eternum, in pace in idipsum dormiam & requiescam. Illumina oculos meos ne vnquam obdormiam in mortem, &c.

Deniq: B. Virgini, Angelo Tutelari & Patro: iste commenda, vt sup fol. 16r

QVOTIDIANVM. 179

EXERCITIVM,

*Missæ Sacrificio piè faciendo & au-
diendo, tum & deuotæ Com-
munioni seruiens.*

O Dulcissime Saluator Chri-
ste I E S V , ad laudem &
gloriam Sanctissimi Nominis
tui. In memoriam sacratissime
Incarnationis, Vitæ, Passionis
ac Mortis tuæ. In gratiarum
Actionem pro omnibus do-
nis, & beneficijs Sanctissimæ
Matri tuæ, omnib⁹ Electis tuis,
Patronis meis N. & mihi indi-
gnissimo peccatori ab instanti
conceptionis meæ in hanc ho-
ram vsque collatis, in solatium
quoq; Fidelium Viuorum, N.
& N. maxime. Et refrigerium
Defunctorum, N. &c. Offero
M 2 tibi

tibi hoc *Missæ Sacrificium: seu participationē* Corporis & Sanguinis tui, idq; vnà cum omni affectu & desiderio Triumphantium in cælis; & Militantium in terris.

Et rogo te ex intimo corde, per virtutem amoris, quo Pater æternus Mundū sic dilexit, vt Te Filium suum vnigenitū daret: Per efficaciam intensissimæ charitatis, qua Tu ipse de sinu Patris venisti in hunc mundū, & **HOMO FACTVS** es, propter nos homines. Et per vehementiā illius amoris, quo hoc Sacramentum in vltima Cœna corā discipulis tuis instituisti, & te ipsum nobis in cibum dedisti. per vim quoque illius arden-

dentissimi amoris, quo pendens in ara Crucis teipsum Æterno Patri tuo in Sacrificium obtulisti, vt fieres propitiatio pro peccatis nostris.

Et deniq; per illam efficacissimam charitatem, qua totum Redēptionis nostræ opus per egisti, & ad perpetuā illius memoriam, Corporis & Sanguinis tui mysteria per totum orbem terratum vsque ad consummationem seculi quotidie renouari gaudes.

Rogo inquam, per hæc omnia, ex toto corde, vt pretiū Sanguinis tui & thesaurū abundantissimum charitatis & omnium meritorum tuorum offeras Æterno Patri tuo, &

M 3

hinc

hinc suppleas omnem defectū
& languorē, heu nimis tepidæ
præparationis, qua ad hæc sa-
cra mysteria, *tractanda, audienda*
seu participanda venio. & gra-
tum habeas obsequium hu-
millimæ seruitutis meæ.

Doleo ex intimo corde meo,
quod vnquam offenderim te
DEVM meum; & nunc Amo te
ex tota anima mea, velut Sum-
mum Bonum meū. Et gratias
ago tibi ô Christe, ex intimis
visceribus animæ meæ, quod
tanta charitate & misericordiâ
nullo cuiusq; merito, redeme-
ris genus humanū. Et quod in
signū huius Amoris tui, nec nō
in pignus futuræ Gloriæ, Cor-
poris & Sanguinis tui Mysteria
no-

nobis admirabili potentia de-
 deris in cibum & potū. Deniq;
 quod ad hæc SS. Myſteria *tra-*
ctanda seu participāda me vilissi-
 mū Peccatorē in numerū tuo-
 rū *Sacerdotū seu Fidelium*, ineffa-
 bili clementia vocare volueris.

Fac, ô bone IESV, per omnes
 miserationes tuas, vt hæc tre-
 menda myſteria, tanta inquā
 Charitatis tuæ munera, debita
 ſemper fide & reuerentia pro-
 ſequar; Sacramenta Corporis
 & Sanguinis tui, puro & ardēti
 corde (*sacramentaliter aut ſpiri-*
tualiter) percipiam; ſtatū hunc
 meum N. ad quē me gratiā tua
 vocare dignatus es, Charitate,
 Caſtitate, Humilitate, Zelo, ac
 moribus tibi placitis, & huic
 ſta-

184 EXERC. QVOTID.

statui debitis, omniq; vitæ san-
ctimonia excolere studeã, idq;
eo fine, vt tãtò magistibi DEO
meo placeat obsequium serui-
tutis meæ; Proximis, mihiq;ue
magis ad salutem proficiat.

Ideoq; rogo, vt per virtutem
Corporis & Sanguinis tui ab-
trahas cor meum efficaciter ab
omnibus noxijs desiderijs, &
intimè tibi vnias, & incorpo-
res, vt vnus tecũ efficiar spiri-
tus, vt tu in me, & ego in te ma-
neã, adeoq; nihil sit, quod me
à te separare valeat. Nam Tibi
adherere mihi bonũ est, & po-
nere in te Domine spẽ meam.

Quid enim mihi est in Cœ-
lo, & à te quid volui
super terram?

F I N I S.

Tractus Bernardi.

Jesus dulcis memoria, dans vera cordis gaudia
Sed super mal et omnia, dulcis vis praesentia.
Nil cariturius videtur nil saevius:
Nil idgitatur dulcius, quam te superbi filius.
Fons dulcedo cordium, fons magis lumen mentium:
Spedens omne gaudium et omne desiderium,
Iesus spes poenitentibus quam pius pater bonis.
Quam bonus es querentibus, sed quis perorientibus.
Nec lingua valet dicere, nec litera comprehendere,
Experius novit cernere, quid sit te amare, diligere,
Te in quaerere in lectulo, clausam cordis a sigillo.
In vation et in publico quaerere amore, te solo.
In Maria dilectio te in quaerere in templo:
In ore cordis quaerere, mente quaerere non potest.
In perfundam, flentibus, reprensus gemitibus.
In prolovas te, ipsum habens amplexibus.
In te rex amabilis, quae de inexhibilis:
In triumphator nobilis, totus de inexcitabilis:
In nobiscum domine mane novo cum lumine,
In illa nocte caligine mentem reprensus dulcedine.
In illis amor dulcis dicitur, et vere suavissimus:
In pius nullus gratissimus, quam dicere sufficimus.
In experti recognoscite, amorem pius poscite:
In te sum, ardentem quaerite, quocumque in ardente.
In te auctor clementiae, totius spes salutaria:
In dulcoris fons et gratiae vera cordis delicia.

non digno loqui nequaquam, sed te tamquam
non fuit ut audeam, edm de te solo quid loquar.
Tua, Jesu, dilectio, grata mentis reflectio.
Lectens sine fastidio, dars, non em, desiderio.
Cui gustant te et sicut, qui bibunt quod acerbant.
Te facere non sicut, nisi Jesum quem diligunt,
quem tuus amor ebriat, novit quid se gapiat.
Te gustus non sicut, non est ultra quod loquar.
Jesu dars appetitum, in aure dulce cantum.
In ore mel in sicut, in corde nostrar' velicium.
Desidero te nullius, mi Jesu quando venies.
Te quando letum facies, de te me quando saties.
Te quando continuus, mihi languor asiduis.
Te quando mellifluis, fructus vite perpetuus.
Te quando benignitas mira coras humanitas.
Te quando obensa bonitas tua me dicitur caritas.
Te quando mihi diligere Jesum mihi sicut scire.
Te quando profusus delectare ut queam illi vivere.
O Jesu mi dulcissime, spes aspirantis animas.
Te quaerunt via lacrimae, et clamor inquit.
Quo uno loco fuero, Jesum meum desipero.
Quam laetis cum invenero, quam felix cum tenuero.
Tunc amplexus, tunc oscula, quae vincunt mellis po. quae
Sed in his parva morula, Jesum sequar per secula.
Jam quos quaerere video, quos concupivi teneo.
Amore Jesu languo, et corde totus ardeo.

...edot p[ro]p[ri]o, dulce[sc]it mirabiliter
...d[e]lectabiliter, dolens et felix.
...amor mihi calidus, et mihi in
...Mentem, a uendat p[ro]p[ri]o, hic d[e]lectatur
...seatum, in uendium, o ardoris
...dulce refrigerium, amare Dei filium
...cum sic diligitur, hic amor non extinguitur.
...nece, nec moribus pius erit, cum a uendat
...in flos matricis uirginis, amor noscitur de uendit
...tibi laus honor numeris, cum beatitudinis.
Veni, ueni rex optime, pater innocens gloriatus.
...dulce dare, latius, iam expectatus, serius
...his sole serenior, et balsamo suavior.
...omni dulcore dulcior, p[re]dictis amabilior.
...hic amor, sic efficit, o longi sic me reficit.
...gloriam mens mea dicit, solg amanti sufficit.

3 18
13

ULB Halle

3

006 567 541



...cibus occurrere, portas reatas attollite:
Triumphantori dicite, Salua Iesu rex inclute:
Rex uirtutum, rex gloriae, rex insignis victoriae:
Iesu arator gentium, honor caelestis curiae.

et ceteris, p[ro]dicit, et tua laude, p[ro]p[ri]a
rebus laudat, et nos deo precatur.
p[ro]p[ri]e imperat, et omnem p[ro]p[ri]um p[ro]p[ri]at.
p[ro]p[ri]a mens desiderat, et eo p[ro]p[ri]a p[ro]p[ri]at.
et p[ro]p[ri]um redit, coeleste regnum subit.
nunc a me transit, simul post eum abijt.
in p[ro]p[ri]am, laudibus: humanis p[ro]p[ri]is et p[ro]p[ri]is
nos donet coelestibus, cum ipso p[ro]p[ri]a sedibus.
A. M. E. N.

idem sapientis, eandem charitatem habentes,
unanimiter id ipsum sentientes, Nihil per con-
tentionem, neq. per inanem gloriam, sed in
humilitate, superiores sibi invicem arbitran-
tes. 2. ad Philipp. 2.

Omnia facite sine murmurationibus et sa-
pitationibus, ut sitis sine querela, et simplices
filij Dei, sine reprehensione in medio natio-
nis prave atq. perverse, inter quos lucetis
sicut luminaria in mundo. ibid.

Spiritu ambulante, et opera carnis non per-
ficiatis. ad Galat. 5.

Perfecti estote, id ipsum sapite, pacem habete, et
Deus pacis et dilectionis erit vobiscum. 2. ad
Corinth. 13.


Nolite timere opprobrium hominum
et blasphemias eorum ne metuat. 2.
Isai. 51.

Narrantur mihi iniqui fabulationes
sed non ut lex tua. Ps. 118.

Quam magna multitudo dilectionis tue
Domine, quam abscondisti timentibus te.
Perfecisti eis qui sperant in te, in conspectu
filiorum hominum. Abscondes eos in abscon-
dito facies tue: a conturbatione hominum.
proteges eos in tabernaculo tuo, a contra-
dictione linguarum. Ps. 30.

Fili, accedens ad servitutem Dei, ha. in iusti-
tia et timore, et prepara animam tuam
ad tentationem. Eccl. 2.





Inches

Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow


Red

Magenta

White

3/Color

Black



FASCICVLVS
YRRHÆ
ET THVRIS.

SEV
ATIONES NO.
E AD CHRISTVM,
CHRISTIPARAM
& Coelites.



Colonia Agrippina,
IOANNEM KINCHIVM
anno M. DC. XLIX.

